

Dissertatio pathologico-practica sistens novas observationes de infarctibus venarum abdominalium internarum, eorumque resolutione per enemata potissimum instituenda ... / [Johann Friedrich Elvert].

Contributors

Elvert, Johann Friedrich.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Erhardianis, [1754]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ksgu7bz8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO PATHOLOGICO-PRACTICA
SISTENS
NOVAS OBSERVATIONES
DE
**INFARCTIBVS VENARVM
ABDOMINALIVM INTERNARVM,
EORVMQVE RESOLVTIONE
PER ENEMATA POTISSIMVM
INSTITVENDA.**

QVAM
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
GEORGIO FRIDERICO SIGWART

PHILOS. ET MEDIC. DOCT.
MEDICIN. CHIRVRG. ET ANATOM. PROF. PVBL. ORD.
MEDICO AVLICO WIRTEMB.

PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGI^A
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

PVLICE VENTILABIT

AVCTOR

IOH. FRID. ELVERT, Vayhingensis.

D. MAII MDCLXIV.

TVBINGAE, LITTERIS ERHARDIANIS.

PRAEFATIO.

Praesens, quod offero, thema ita comparatum est, ut neque penitus novum, neque tamen satis pro dignitate excussum videatur.

Morbi, quos antiquissimi autores medici sub atrae bilis nomine descripsérunt, ut plurimum infarctuum in his illisve venæ portarum ramis nidulantium effectus erant; neque humor atrabilarius aut melancholicus, juxta antiquam hypothesin in liene genitus, aliud quid fuit, quam sanguis plus minusve corruptus, stagnans atque incarcerated. HIPPOCRATEM ipsum sub bilis atrae nomine saepius nil nisi sanguinem corruptum, piceum, putrefactum intellexisse, ex variis locis divinare licet.

Recentiores pariter, BALLONIVS, FERNELIVS, MARTINI, SPIGELIVS, & qui non alii? de atra bile, mesenterio ejusque vasis, ut causa & sede plurimorum morborum, commentati sunt, licet non abs hypothesis fuso liberam proposuerint veritatem.

Rectius illam perspexerunt Viri in maxima medicinae commoda nati, FRID. HOFFMANN, STAHL atque BOERHAAVE, suamque theoriam anatomico - physiologicis inventis auctiorem perfectioremque, ac pathologico - therapevticis meditationibus utiliorem proposuerunt.

Horum vero inventis novam lucem attulit recentissime nostri aevi Medicus, & ingenii acumine & felicissima praxi perclarus, dum viveret, Archiater KAEMPF: Is



non tantum infarctuum indolem sedemque accuratius definitivit, sed & novam eandemque perfectiorem medendi methodum candide exposuit.

Hujus igitur Viri vestigiis insistens & ego, in praesenti specimine academico potiora momenta de infarctibus venarum abdominalium, quae vel ex auctorum monumentis vel propria observatione hausi, breviter propone, methodum eos resolvendi enarrare, & in primis Clysmatum (in quorum usu primarius Curationis cardo vertitur) actionem usumque explanare, eorumque necessitatem demonstrare tentavi.

Temerarii & irriti conaminis me arguent forte plurimi, quod adeo frequentem & diuturnum clysmatum usum commendare audeam civibus nostris, qui, si ullum unquam, certe hoc remedii genus abhorrent & contemtui habent. Et omnino difficultatis plenus labor est, veteres avias, ut cum PERSIO loquar, hominibus *de pulmone repellere*. Interim tamen, cum remedia non ex praecognitis opinionibus aut fama, quam in plebe tueruntur, sed ex ipso, quem edunt, effectu aestimanda sint: multa excusatione forsitan non indigebo, si methodum medendi propono & commendo, non admodum cognitam, utilem tamen, cuius felices successus coram intuitus sum, & quae unica forte superest in nonnullis casibus. Ceterum ea, qua decet, modestia hos qualescunque conatus meos aequo lectoris judicio trado, propositasque meditationes emendandas, augendas, perficiendas ipsi relinquo atque commendo.





I.

Per *Infarctus Venarum abdominalium* intelligo illarum prae-
ternaturalem repletionem atque distensionem, ortam ^{definitio.}
a materia varia hinc inde in earum cavis collecta.

II. Materiam infarctuum constituit sanguis, qui pro varia, Materia.
quam acquisivit, indole, magnam infarctuum differentiam
facit; Observationes enim, postea recensendæ, docuerunt:
non modo lentum spissumque sanguinem, sed & polypos, mas-
sas carni similes, quin concrementa tartarea, sabulosa, calcu-
losque in his vasis reperi.

Generatim vero qualitate & consistentia materiae differen- Species.
tes infarctus revocari possunt ad *duas species*, quarum priorem
constituit nimia sanguinis in vasis accumulatio, nondum peni-
tus destructo fibrarum canalis tono, & subsistente aliqualiter
illius motu progressivo; alteram vero sistit Oppilatio vasorum,
facta a materia in massam solidam concreta, cum toni abolitio-
ne, & sublato humoris motu progressivo. Prioris Speciei in-
farctus *incompletos*, posterioris vero *completos* appellabimus.
Hi præcipue hujus Dissertationis thema constituunt, cum vero
priores semper habeant comites, & illorum simul ratio erit
habenda.

Sanguinis
dispositio ad jugi motu agitatae in debita mixtione & fluiditate conservan-
infarctus in tur, maslamque constituunt adparenter homogeneam; quam-
venis in ge- primum vero moveri desinunt, haec mixtio perit, &, dum
nere. fluidiores moleculae a crassioribus secedunt, hae posteriores
coēunt, arctius adunantur, atque sic abeunt in coagulum so-
lidum, quod continua quiete sensim in solidius & peregrinae
indolis corpus evadet.

III. Sanguinem constituunt particulae heterogeneae, quae
dispositio ad jugi motu agitatae in debita mixtione & fluiditate conservan-
infarctus in tur, maslamque constituunt adparenter homogeneam; quam-
venis in ge- primum vero moveri desinunt, haec mixtio perit, &, dum
nere. fluidiores moleculae a crassioribus secedunt, hae posteriores
coēunt, arctius adunantur, atque sic abeunt in coagulum so-
lidum, quod continua quiete sensim in solidius & peregrinae
indolis corpus evadet.

Prior sanguinis status in arteriis obtinet, in iis enim ve-
geto motu, & intestino & progressivo, jugiter agitatus sanguis
in perfecta particularum mixtione constitutus est; In venis ve-
ro lentiori motu propellitur, inaequaliter etiam mixtus & ma-
gis resolutus, & ipsa venarum fabrica laxior est; Venae ergo
molecularum separationi magis favent quam arteriae, unde
etiam, accedente quadam causa occasionali, particulae crassiores
sanguinis, terrestres, gelatinosae, viscidæ, facile in his ve-
narum viis haerent, atque fluxiliorum in circulum abeuntium
connubio orbatae, stagnant, coēunt & solida coagula gignunt;
hinc polypi veri & sic dicti pseudo-polypi frequentius in ve-
noso quam arterioso systemate reperiuntur.

In Vena
Portae, re-
liquisque ab
dominali-
bus venis.

IV. Ex his ergo patet, venas in genere magis favere in-
farctuum generationi, quam arterias; peculiares vero & do-
mesticae in vena portarum (quae maxima parte venas abdomi-
nales constituit) adsunt rationes, quae non tantum sanguinis
stagnationibus sed & infarctibus amplissimam suppeditant occa-
sionem. α) Sanguis iste magnam fluxiliorum particularum fe-
cit jaēturam, venularum resorptionibus non satis resarcitam,
& oleosis, viscidis particulis præ alio sanguine abundat, hinc
ex hac sua natura majorem ad stagnandum habet dispositio-
nenem; β) vehitur in vena portae ventrali motu ascensorio,
via sane liquidorum gravium progressui non favente; γ) Tota
vena portae ventralis nullis in sua via fulcitur partibus solidis,
uti aliae venae, sed inter molles partes, facile cedentes mem-
branas, decurrit; δ) Valvulis prossus destituitur; magno ita-
que, quo aliae gaudent venae, motus sanguinis progressivi

ad-

adjumento caret; e) Dum hepar ingreditur, hepatica tunc salutata, deposito venae officio, arteriae munere fungitur, primariis arteriarum praerogativis, tunicarum robore scilicet & pulsu destituta, sanguinem tunc per majores primo ramos, paulo post minores & minimos denique angustissimosque ramulos distribuit, frictionem ergo ad latera, motusque progressivi retardationem, uti arteriae, superare debet a); in tanta vero a corde distantia, praeter diaphragmatis motum ac remotionem muscularum abdominalium actionem, forsan & arteriae hepaticae pulsationes, nulla ipsi ab extus accedant subsidia, quae sanguinis progressum adjuvarent; capsula enim, quam vocant, GLISSONII, cui multum tribuebunt plurimi auctores, nil est, nisi tela cellulosa, vasculis nervulisque picta, quae quidem venarum ramis vaginam dat, eosque, ut luminis rotunditas conservetur, jecoris substantiae affigit, nullas vero intertextas habet fibras musculosas b).

Quae de venae portae ventralis dispositione ad infarctus suscipiendos diximus, maxima parte etiam de reliquis venis abdominalibus asseri posse, quivis facile intelliget, qui harum structuram, situm reliquasque novit conditiones.

V. Ergo totum venae portarum sistema reliquaque abdominales venae infarctuum sedes fieri possunt; si tamen omnium harum venarum decursum, vicinitatem atque connexionem adjacentibus partibus specialiter consideramus, atque infarctuum causas occasioales simul respicimus; tunc intelligimus, Ventriculi, intestinorum, Coli in primis & Recti atque Uteri Venas illis potissimum & prae reliquis subesse.

Ventriculi quidem & intestinorum venae facilius eos suscipiunt, quoniam ille horumque totum volumen variis irregulibus motibus adversisque vicissitudinibus subsunt, tum ob

ingesta

a) v. HALLE primae Lineae physiologiae. Götting. 1751. §. 675. p. 438.
collat. cum §. 58. 133. 148.

Speciatim vero in venis ventriculi, intestinorum, colicis, uteri. humani ad usum theatri accommodata. Aug. Taur. 1711. Part. I. p. 109. A. F. WALTHERI Progr. I. de Vena Portae Lips. 4. 1739. p. 7. & seq.

b) L. FANTONI Anatomia Corporis

ingesta vitiosa, tum etiam ob singularem, quem ventriculus & intestina alunt, consensum cum transpirationis viis aliisque corporis partibus c). Coli & Recti vasa id praे reliquis singulare habent, quod longo & fere perpendiculari itinere suum sursum ducant sanguinem. Flexuosus vero & implicatus cursus in spongiosa parte ad infarctus suscipiendos peculiariter disponit vasa uterina, quae praeterea multis exposita sunt iuriis, tam internis, quam externis, ob mensium negotium, graviditatis, partus atque puerperii conditiones.

Afferimus itaque cum Cl. KAEMPFPIO d) primariam infarctuum, completorum inprimis, sedem omnino esse in modo memoratis ventriculi, intestinalium & uteri venis; ita tamen, ut reliquas non excludamus, easque, in mali diuturnitate, incompletorum praecipue sedem fieri statuamus. Cum enim completi infarctus vasis cavitatem perfecte obstruant, omnique liquido obicem ponant insuperabilem: necessario sanguis ad alios ramos regurgitat atque in illis accumulatur.

Sectiones
practicae
propositam
sententiam
confirmantes.

VI. Hanc sententiam sectiones practicae atque cadaverum inspectiones confirmant. Sic venas in abdomen varicosas maxime molis vidit R. COLVMBVS e); mesaraica vasa intestinalium tenuium, ilei praesertim, nigro sanguine valde distenta, simulque totum ventriculum cruenta ejusmodi materia referunt F. HOFFMANNVS deprehendit f). GVARINONIVS in hypochondriaco venas mesentericas obstructas & adeo dilatatas invenit, ut speciem intestinalium prae se tulerint g). Ingentem sanguinis viscidu faburram in venis mesentericis sibi visam refert BRVNNERVS h). Ictero nigro mortuum secuit VESALIVS, atque venae portae ramum sub coli intestinali fine,

&

c) F. HOFFMANNI Opera omnia, in fol. Genev. 1748. T. I. p. 312. §. 15.
BAGLIVVS de fibra motrice, cap. 9.
10. in Oper. omn. Lugd. 4. 1710.
p. 334.

d) de Infarctu Vasorum Ventriculi,
Basil. 4. 1751. §. 6. p. 9. in hac dis-

sertatione filius parentis & proprias observationes descripsit.

e) De Re anatomica, Lib. XV. in fol. Venet. 1559. p. 264. 265.

f) L. c. T. II. p. 214. §. 17.

g) Consil. medicin. Cons. 484.

h) Consil. med. C. 7.

& tota recti longitudine in mesenterio ductum, pollicis fere crassitatem aequare & sanguine turgere animadvertisit i). In Principe melancholico, sedentariae, dum viveret, vitae dito mesenterium nigris varicibus undique circumseptum visum describit BONETVS k). Illustrissimi cujusdam morbum describit KAEMPFFF, qui ab infantia atróphicus, vicesimo aetatis anno haemorrhoidibus aliisque hypochondriacis pathematis correptus, sexagenarius imminentem mortem feliciter evasit, postea vero ex incongrua medicatione obiit; hujus cadaver copiosos vasorum abdominalium infarctus a sanguine corrupto, spisso, natos exhibuit, ut per pauca vasa, sanguinem adhuc fluxilem vehentia, reperirentur. l).

Calculos vero in jecore, vena portae, & speciatim in venis haemorrhoidalibus viderunt R. COLVMBVS m) & TH. BARTHOLINVS n). Mulieris per plures annos variis chronicis pathematis subjectae & sexagesimo circiter aetatis anno apoplexia mortuae cadaver in abdominis & praesertim uteri vasis, hujusque cavitate multa concrementa, intestinum rectum petrefactum, & uteri collum solito longius ac sesqui pollicis longitudine osseum conspicienda praebuit Cl. KAEMPFPIO o). Idem auctor in femina crebriori vomitu, reliquisque (XVIII) descriptis pathematis laborante & mortua invenit ventriculi vasa nigro atque sphaceloso sanguine incredibilem in modum distenta, ovarium vero & uteri vasa cum rene sinistro petrefacta p). In alia simili morbo defuncta omnia ventriculi & oesophagi vasa sanguine distenta & disrupta vidit, liene incolumi q). In nobili alia femina, quae ob abdominis tumorem se gravidam putabat, uterum plura concrementa, quorum ali-

qua

i) de Corporis humani fabrica, in m) l. c. p. 266.

fol. Basit. 1542. Lib. V. C. 15. n) BOERHAAVE Praelectiones de p. 663.

k) Medicina Septentrionalis, fol. Genov. 1684. p. 692. C. 13.

l) De infarctibus vasorum in infimo ventre. 4. Argent. 1752. Cas. 2.

Hanc dissertationem defendit D. KOCCH, sed auctor est Cei. KAEMPFF.

o) de infarctu vasorum Ventriculi. Cas. 2. p. 32. p) l. c. Cas. 5. p. 34. q) l. c. Cas. 6.



qua scirrhosam prae se ferebant indolem, fuisse deprehendit modo laudatus KAEMPFF^r). Calculosa etiam concrementa in utero reperiri observationes docent; HIPPOCRATES describit calculum fusum verticillum propemodum aequantem, ex ore uteri manu extractum^s). Calculum ad duas uncias in cavo uterino repertum memorat BOERHAAVE^t).

Hisce observationibus & illae de rejectionibus massarum carnosarum, polyposarum, &c. a molis veris admodum diversarum, ex utero, historiae addi merentur; de quibus, praeter Kaempffiana observata^u), frequentem mentionem faciunt autores plurimi, e quibus STAHLIVM^w) atque HOFFMAN-NVM^x) nominasse sufficiat.

Infarctuum
quantitas.

VII. Quantitatem sive molem infarctuum plerique recensitatum observationum autores non designarunt; magnam vero illam subinde esse, ex observata vasorum dilatatione conjicere licet; maxima molis varices fuisse dicit COLVMBVS, & intestinorum speciem vasa prae se tulisse GVARINONIVS testatur. Sane, cum infarctuum ea sit indoles, ut perpetuo crescant, venae vero, uti omnes corporis partes membranaceo-vasculosae^y), in prodigiosam molem, absque ruptura, extendi possint; facile intelligitur, in mali diuturnitate magnam materiae infarcientis vim collectam praeferto esse in corpore, id quod subsequente illius evacuatione copiosa satis confirmatur.

^r) De Concrementis Uteri, Bas. 1753.
Cas. 4. p. 29. Haec Disputatio, quae Respondente D. SCHMID prodiit, si non ab ipso D. KAEMPFPIO scripta est, certissime tamen observationes ex ejus Praxi desumptas proponit.

^s) Epidemic. Lib. V. p. 1149. Ed. Foës.

^t) Praelect. de Calculo, p. 137.

^u) Disp. cit. Cas. 1. 2. 3. 5. 6.

^w) in Collegio casuali magno, p. 795.

^x) Oper. om. T. III. 186. 187. & passim alibi.

^y) Exempli loco sint tumores varii, oedematosi, steatomatosi, &c. Aliquot horarum spatio omnia ferre intestina in scrotum delapsa, hoc eum in modum extenderunt, ut ad genua propenderet, non ruptum, sed crassius factum. Acta Nat. Cur. Vol. IV. Obs. XXV.

Transactions anglicanae, ni fallor, feminae historiam recensent, cui mammae una nocte ita tumefactae & aductae sunt, ut pedes attingerent, aegramque evigilatam pondere suo detinerent immobilem.

tur. Una nocte tres quatuorve sanguinis nigri & foetidissimi mensurae excretae fuerunt absque notabili molestia, & tamen sequentibus diebus tum per alvum, tum vomitu, sanguis niger rejiciebatur z). Praeter polyposa concrementa ex utero eliminata, incredibilem calculorum copiam per alvum ejecit mulier, quorum partem aliquam collegit medicus celeberrimus, qui, fraudem suspicatus primo, per plures horas, & sub ipsa alvi exoneratione, aegrotae adstitit a). Alia intra quinque dies eam concrementorum copiam ex utero rejicit, quae duorum foetu[m] molem longe superabat b). Sarcoma, uteri fundo accretum, pondere centum libras excedens describit TREYLING c). Tanta polyporum excretio per alvum aliquot dierum spatio procedebat in hypochondriaco, ut, nisi plures homines fide dignissimi id testarentur, incredibile videretur d). Et omnino harum excretionum ea est conditio, ut, nisi quis testis fuerit avtoptia, facile, licet immerito, hisce narrationibus deneget fidem.

Similes, quas ego ipse vidi, evacuationes adeo copiosae non erant, sed eo diuturniores; quovis die rejiciebatur materia ea circiter quantitate, quae fecum alvinarum molem interdum aequabat, saepius vero duplo, quin triplo eam superabat, sed continuabatur per plures menses, quin per integrum annum, ut id, quod evacuatum est successive, in suo aggregato omnino immensam constitueret copiam. e).

Hae vero allegatae observationes intelligendae sunt de malo inveterato, quod, si recentius sit, diffusam adeo sedem omnino non habet.

VIII. Causae hujus mali praedisponentes sunt venarum abdominalium debilitas & laxitas: Sanguinis spissitudo, viscositas. Causae praedisponentes.

z) KAEMPF de Infarct. Vas. Ventr. Cas. 3. p. 33.

a) ibid. Cas. 4.

b) Disput. de Concrementis Uteri, Cas. 1. p. 26.

c) In Actis Nat. Cur. Vol. IX.

d) KAEMPF de infarctibus vasorum in inf. ventre, Cas. 2. p. 34.

e) Cui haec incredibilia videntur, illegalat ea, quae de stupenda excretione per alvum in hypochondriaco Anonymus quidam commentatus est in den gesellschaftlichen Erzaehlungen. III. Th. p. 294. 295.

tas aut alia, ut loquuntur, intemperies. Debles enim & laxae venae debita in sanguinem reactione fungi haud valent, ipsi cedunt nimis, nimiam dum patientur dilatationem, sanguinis congestionibus, stagnationibus, quae infarctuum principia sunt, ansam suppeditant. Idem fit, si ex memoratis tempe- riei vitiis sanguis ipse immeabilior atque ad circulationem ineptior sit.

Adeo arctum vero solida inter & fluida commercium sanguitum est per leges corporis mechanicas, ut neque solidi vitium diu perstet sine fluidi labe, neque fluidum diu peccet sine solidi morbo; Si vero & fluidi & solidi vitium adsit simul, eo promptiores erunt infarctuum natales.

Occasionales.

IX. Causae occasio[n]ales, quae magis minusve remote infarctus producunt, variae sunt & fere innumerabiles; potiores tantum recensebimus: Ciborum copia excedens, nimis diversorum ingluvies, diaeta etiam nimis anxia & scrupulosa, quae non nisi teneros, nullius fere consistentiae, cibos praecipit, potus calidarum abundans, spirituorum abusus, digestionis officinas vario modo laedunt, atque ventriculi venis inprimis infarctus inducunt.

Vita sedentaria, incongrui corporis sedentis situs, abdominis compressiones externae cum aliqua constantia aut diuturnitate applicatae, arctiores, quibus elegantior sexus utitur, thoraces, liberum sanguinis in abdomen circuitum impediunt.

Studia immoderata, vigiliae nimiae, praecocia, intemperantia veneris exercitia, ut corpori in universum robur detrahunt, ita & infarctibus ansam suppeditare observantur.

Excretionum sanguinearum, lochiorum praecipue, mensium, haemorrhoidum, suppressiones intempestivae quam facillime huic malo viam pandunt. Idem dicendum est de febrium intermittentium imprudenti suppressione per corticem peruvianum aut aliud quodvis remedium, de opiatibus, narcoticis, adstringentibus medicamentis imprudenter usurpatiſ f).

Aquarum

f) ~~Exemplif~~ de inf. vas. ventriculi, §. 15. p. 18.

Aquarum mineralium ingurgitationem liberaliorem, laxantia repetitis vicibus propinata, purgantia drastica, vomitoria incaute sumta, absorbentium terreorum abusum, inter causas infarctuum vasorum ventriculi procatarcticas refert Cl. KAEMPFFF, suis aliorumque nixus observationibus g).

Vapor carbonum, ex ignitabulis pedibus subjectis, sub mensium fluxu genitalibus admissus ad uteri infarctus disponit h).

E censu rerum praeternalium notatu dignissima causa procatarctica est atrophia, sive glandularum mesentericarum obstructio, quae quum chylo viam paecludat, corporisque nutritioni obsit, & partium solidarum debilitatem, & fluidorum vitium facit, atque ob glandularum immanes saepe tumores, venarum mesentericarum pressionem simul importat, itaque non uno tantum respectu hujus mali generationi favet.

X. Hactenus infarctuum indolem, genesin, sedem causas- Effectus in que perlustravimus, nunc eorum effectus morbos, quos ex- genere. erunt in corpore humano, sunt investigandi. Ex illorum indeole ac sede facile patet, in abdomen & visceribus chylopoieticis varia ex iis oriri mala; bilis enim, liquoris gastrici, sucii pancreatici, lymphae intestinalis, glandularum mesentericarum, secretiones, excretiones, permixtiones impediunt; nervos vicinos, aliasque partes adjacentes premunt, varie prorurum circumstantia afficiunt; hinc sequuntur & deduci debent: digestio, chyli elaboratio, labefactatae: assumtorum corruptio: cardialgiae; flatulentia: spasmi: dolores intestinalium varii: alvi tarditas, obstructio pertinax; haec omnia vero si diu duraverint, humorum dyscrasiam aliaque per totum corpus diffusa incommoda ingignunt.

XI. Completi infarctus venas, quas occupant, perfecte obstruunt (II.) Hinc sanguis venosus, qui transire deberet, ad alias relabit venas, eas distendit, stagnat, atque sic malum sibi ipsi pro pabulo est. Praeterea vero & sanguini arterioso per

g) l. c. §. 14. p. 17. 18.

h) de Concrementis uteri §. 14. p. 15.

per aortam, coeliacam atque mesentericas arterias advenienti notabiles resistentias opponunt modo nominati infarctus, hinc sinister cordis ventriculus aegre evacuatur, sanguis ex pulmone adveniens cordi non infundi, neque ille ex dextro cordis ventriculo per arteriam pulmonalem satis propelli potest, ergo in utroque cordis cavo, pulmonibus, & in ipsa vena cava & circa ejus radices in hepate accumulatur, unde anxietates fere intolerabiles, cordis palpitationes, pulsuum inaequalitates oriuntur. Subsistens vero hisce obstructionibus viarumque impedimentis, sanguis saepe per alias arterias, ubi minor aut nulla est resistentia, eo majori impetu & celeritate ruit, atque varia molimina & dispositiones ad haemorrhagias, congestiones in capite ac pectore, aliosque plethorae effectus producit.

XII. Alius adhuc recenseri meretur modus, quo infarctus morbos inducere valent. Fieri non potest, quin sanguis ad vasa infarcta delatus, aliquas subinde infarctuum particulas abripiat, pro diversitate materiae infarcientis varias, crudas tamen, neque humoribus nostris assimilandas. Hae tum cum omni sanguinis reliquorumque humorum massa in circulum abeunt, eam inquinant, dyscrasiam vel iam natam ex causis (**X. XI.**) augent, vel primitus inducunt statum cacochymicum, multis morbosis phaenomenis portam pandentem, neque ulla medicatione tollendum, nisi ejus somitem extinxeris antea.

XIII. Maxima denique, respectu infarctuum eorumque effectuum, consideratione dignus est consensus nervorum, quem abdominis viscera cum toto fere corpore alunt, mediatis intercostalibus & vagis nervis; Horum scilicet rami atque plexus, vasis abdominis & arteriosis & venosis vicini, circaque ea ludentes, ab hisce infarctibus pressiones atque irritationes patiuntur, ut hinc inde in abdome spasmi excitentur, qui, secundum legem illam microcosmicam; quod spasmi membranis nervosis insidentes, per universam saepe nervorum ac membranarum compagem pro-

propagentur i) in remotis locis, sub variis & multum saepe inter se diversis scenis suam ludunt tragœdiam. In universum quidem, dum corporis canales tubulosque arctant & stringunt, humorum circuitum, secretiones atque excretiones turbant; sic renū tubulos constringendo, excernendas salinas, terrestres, sulphureas particulas in corpore retinent, urinamque faciunt pallidam; ad universam corporis peripheriam propagati, perspirabili Sanctoriano vias claudunt, quin & excrementicias particulas ad cutem jam delatas, in humorum massam, partesque nervosas repellunt atque amendant. k) In pectore asthmata, cordis palpitationes tremoresque, &c. in capite cephalaeas, sensuum & internorum & externorum varias turbas excitant, in artibus motus inducunt convulsivos.

Ea etiam in genere spasmorum est indoles, ut iis, quas occupaverant, partibus insignem inducant debilitatem, statisque redire soleant periodis, unde quidem varia mala sequi posse, quilibet perspiciet.

XIV. Ex his (X.-XIII.) generatim allatis patet, qui qualesve affectus ex infarctibus venarum abdominalium propullulare possint? non vero putandum, ac si omnes enarrati morbi illos presso pede sequantur necessario; pro subjectorum enim sexu, aetate, corporis habitu, vivendi genere, diversis, diversa etiam inde sequuntur mala, diversoque incedunt tramite. Sic e. g. feminae atque personae sensibiores omnino citius ex hoc malo aegrotant; quibus vero habitus corporis strictior est, atque fibrae tensae, quales sunt e. g. melancholico-cholerici, illi saepius magnae molis infarctus in abdomine abscondunt, pauca inde persistentes incommoda, semel vero excitato hoc malo, eo citius misere apoplexia, &c. jugulantur, observante KAEMPFPIO 1).

Pro differenti sede, quam occupant, & effectus differentes sunt; sic, si in uteri cavo vel ejus vasis haereant infarctus, praeter ordinaria hysterica symptomata, immoderatas saepe uteri

i) F. HOFFMANNI Oper. omn. T. I. p. 168. §. 26. k) F. HOFFMANN l. c. §. II. p. 166.
1) De infarct. Vas. Ventr. §. 5. p. 8.



uteri haemorrhagias, mensium ataxiam, &c. producunt; cardialgias vero vehementes & vomitus cruentos, si in ventriculi vasis delitescant; m) In Coli atque Recti vasis si stabulent, ea in scenam producunt phaenomena, quae sub mali hypochondriaci nomine veniunt. n)

Cum vero plerumque, in primis in diuturniore malo, non circa unicum tantum locum haereant infarctus, sed in ampliorum diffusi sint sedem, sit, ut non una mali species, sed plures simul affligere soleant, & varie invicem continentur vel succedant.

Quod autem
etorum con-
sensu illu-
stratur.

XV. Quicunque nunc ea, quae haec tenus de infarctuum indole atque effectibus breviter quidem potius perstrinximus, quam pro rei dignitate enodavimus, aequa pendet lance atque ulterius ruminatur: is sane intelliget, plurima tum acuta, tum chronica mala ex hisce venarum abdominalium infarctibus, tanquam e Pandorae pyxide, prodire, rebellia, scandalo medentibus futura, nisi veram hanc reconditamque noverint causam extirpaverintque; Febres certe mesentericas, acutas, inflammatorias o), hemitritaeas p) & lentas hecticas q), chronicas etiam atque refractarias tertianas, quartanasque, mesenterii abscessus, cum subsequentibus dejectionibus, dysenterias saepe mentientibus r), pathemata porro hypochondriaca

m) KAEMPFFF l.c.

n) KAEMPFFF de Infarct. vasorum in infimo ventre; & in litteris privatis, ubi diserte haec habet: „Nos met quotidiana experientia edo eti sumus, fomitem hujus mali confirmati semper fere in Systemate Venae portae delitescere, & potissimum in intestino colo & recto sedem suam figere, quorum in vasis multis ex rationibus sanguinis facillime retardatur, incarcерatur, & mora magis magisque spissus redditus plenariam stagnationem concipit, imo non raro in polyposam massam abit.,,

o) FR. HOFFMANNI Dissert. de febris mesentericis, Halae 1728.

§. 10. MATTH. MARTINI de morbis mesenterii abstrusioribus, Lips. 8. 1630. p. 45. & seq.

p) HOFFMANN, l.c. §. 13. & 14. SPIGELIVS de Semitertiana.

q) HOFFMANN, l.c. §. 22.

r) Mesenterium saepe fit sentina multorum excrementorum, ac obtusi sensus cum sit, diurnas tolerat affectiones, & in quo non raro suboriuntur apostemata suppurantia, qualia frequentissime a me fuerunt observata, quae tandem subsidebant per dejectiones purulentas,

driaca s) atque hysterica, Chlorosin, sterilitatem t), varios affectus spasmodicos, epilepsiam ipsam, morbos articulares, calculique affectiones, vomitum cruentum u), morbum nigrum HIPPOCRATIS w), mentis etiam morbos, tristitiam, phantasiam depravatam, melancholiam, ipsamque maniam x) ex fœcunda hac morborum minera promanare; & rationi & experientiae consentaneum est.

Verba Cl. KAEMPFIII huc spectantia, digna sunt, quae transcribantur: „His omnibus positis, inquit ille, in aprico „erit ratio, nec amplius indigebit documentis, quod totus „fere morborum apparatus ex infarctibus incunabula trahere „possit, & provido medico incumbat, in primis in chronicorum curatione, semper has quandoque abditas causas respicere, nisi morbum palliative aggredi velit. Enim vero saepius „morbi causa in abdomen latet, quae vero tragediam in re- „motis partibus, capite, pectore, ludit, & variis scenis, ce- „phalalgia, adfectibus soporosis, apoplexia, epilepsia, asth- „mate, scorbuto, nervorum affectibus, febribus intermitten- „tibus appetet, quae non cessabunt, nisi vera tollatur causa, „id est, nisi obstruktiones, cursui sanguinis viam praecluden- „tes, referentur, & ita impediatur, quo minus sanguis spis- „sus,

lentas, iterumque statutis temporebus recurrebant & oblitescabant denuo per similes dejectiones non raro cruentas, ita ut imposuerint quibusdam, illas pro dysenteriis habentibus. BENEDICT. SYLVATICVS Cent. II. Consil. 87.

s) BOERHAAVE de cognoscendis & curandis morbis §. 1098. 1099. FR. HOFFMANN in Oper. o. T. III. p. 67. §. 16. RICH. MEAD Monita & Praecepta medica Cap. 17. & inpr. KAEMPFFF in cit. disput. de infarctibus vasorum in infimo ventre.

t) Chlorosin atque sterilitatem a polypo vasorum uterinorum ortas insanabilibus adnumerat morbis. HOFFMANN in Op. o. T. I. p. 184. §. 21.

u) KAEMPFFF L. c. §. 23. p. 23. & in altera dissert. de inf. vas. ventr. §. 5. pag. 7.

w) Eum describit HIPPOCRATES Lib. II. de morbis, circa finem pag. 486. Edit. Foës. Confer FR. HOFFMANNI Diss. de morbo nigro Hippocr. 1701.

x) BOERHAAVE l. c. de melancholia & mania; IVNCKERI conspectus medicinae. Halae 1734. p. 931.

„sus, acri materia refertus, versus dissitas etiam partes regur-
 „gitet, aut urgeatur. Persaepe enim experientia edoctus,
 „quod omnes enarrati morbi vel efficacissimis remediis non
 „cesserint, infarctum vero minera mirando modo per alvum
 „atque urinam excreta plenarie propulsati fuerint. „ y)

Hisce magni BOERHAAVII consensus addi meretur, qui sub bilis atrae nomine infarctus descripsit, suamque de illis tractationem his finivit verbis: „Ex quibus liquet, sanationem „hujus mali (sc. mali hypochondriaci & melancholiae) absolu- „tam esse in curatione bilis atrae, atque inde peti debere „non hanc modo, sed infinitorum, falso pro incurabilibus „habitorum morborum. „ z) Cum his ea conveniunt, quae FERNELIUS a), HENNINGER b), SALZMANNVS c), STAHLIUS d), HOFFMANNVS e), & qui non alii? in genere de hac morbi causa disseruerunt, licet forte horum infarctuum rationem non penitus perspectam habuerint, vel saltem non sat determinaverint.

Infarctum
effectus in
specie sunt:

XVI. Quamvis vero omnes hos morbos explicare, eorumque suppeditare aetiologyam, exercitationis academicae, quin & virium mearum limites longe excedat non tantum, sed & a praesenti scopo alienum sit; aliquorum tamen rationes expnere conabimur, ut ea, quae in genere hactenus proposuimus, specialibus aliquot exemplis illustrentur.

Malum hy-
pochondri-
acum.

XVII. Ingens variorum & diversissimorum Symptomatum numerus, quibus malum hypochondriacum suam tragoeadiam ludit, sine dubio fecit, ut de hujus affectus causa, sede, in- dole

y) De infarct. vas. ventr. §. 7. p. 9.

& de Mesenterio. 4. Argent. 1714.
§. 34. 37. &c.

z) I. c. §. 1117.

c) De Vena Portae. 4. Arg. 1717.
§. 21.

a) Pathol. L. VI. C. 7. in universa medicina. 8. Francof. 1593. p. 582.

d) De Vena Portae, porta malorum. 4. Halae. S. III. p. 24.

b) De Depuratione Sanguinis per intestina. Argent. 4. 1712. p. 15. 16.

e) Oper. omn. T. I. p. 167. §. 18. & passim alibi.

dole toties fuerit disputatum, & in diversum denique abierint auctores. Si vero omnia hujus mali phaenomena solicite invicem comparentur, infarctuum indoles effectusque expendantur solicitius, ac diversarum simul, quae in malo hypochondriaco adhiberi solent, curandi methodorum successiones considerentur: patebit sane, nisi me omnia fallunt, eos rem acutetigisse, qui protheiformis hujus affectus sedem causamque in vena portae, illiusque sanguinis non tantum stagnatione, sed & (in primis ubi malum inveteratum jam est) concretione in polypos aliasque massas solidas polymorphas quaesiverunt.

Regeret forte aliquis cum FR. HOFFMANN O: quamvis sanguinis stagnatio in vena portarum pro mediata mali hypochondriaci causa agnoscenda sit, morbi tamen ac symptomatum rationem in ea quaerendam non esse, quia „haud raro „nulla in hypochondriacis adsit ad fluxum haemorrhoidalem „dispositio, & saepius crux per venas sedales copiosissime „profundatur, absque in sequenti mali levamine, testantibus „id observationibus a RHODIO f), CLAUDINO g), MON- „TANO h) allegatis.,, i)

Quanquam immortalis Viri effata nunquam sine veneratione audienda sint, monere tamen licebit contra hanc objectiōnem, 1) omnino ex sola sanguinis spissitudine omnia hypochondriaci affectus symptomata non sequi, neque ex illa explicari semper posse; sed insignis differentia est inter sanguinis spissitudinem, & inter infarctus. Sanguis, scilicet spissus, utcunque tamen per vasa circulat; infarctus vero plenariam vasorum, quae obsident, important obstructionem, atque alia omnino producunt mala, quam quidem lentus sanguinis spissi circulus.

2) Haemorrhoidum phaenomena quod attinet, ea nostram sententiam confirmant potius, quam infringunt. Si causa morbi foret sanguis spissus solum, omnino largae per venas sedales haemorrhagiae levamen aegris deberent afferre; causa esset mobilis

f) Cent. II. Obs. 93.

g) Consil. 89.

h) Consil. 246.

i) F. HOFFMANN de malo hypochondriaco. Oper. T. III. s. 8.
pag. 66.

mobilis & evacuaretur sine dubio hac via; quia vero, praeter sanguinem spissum, & polyposae aliaeve massae solidae in vena portae continentur, non mobiles, haeque, secundum nostram mentem, veram morbi causam constituunt: oppido clarum est; nihil emolumenti ex tali evacuatione redundare posse in aegros; imo contrarium potius obtinebit in quibusdam casibus, cum abdominalia viscera, ob has vasorum obstructiones exsucca jam antea, hac ratione ulterius emungantur, nimiaeque exinanitiones, qualescunque sint, & quocunque modo fiant, obstructiones augeant, malum rebellius, curamque reddant difficultorem. k)

Neque tamen ex his sequitur, haemorrhoidum fluxum nunquam esse salutarem, certis enim observationibus constat, hisce fluentibus aegrotos fuisse levatos, quin sanitati restitutos, sed id in eo tantum fiet casu, ubi causa morbi mobilis est, & ad evacuationem disposita.

Neque alterum phaenomenon, absens dispositio ad haemorrhoides in hypochondriacis, nostrae sententiae contrarium est. Quamvis enim haec dispositio in ipsis aegrotis rectissime ab infarctibus venae portae deducatur; inde tamen minime sequitur, eam semper & in omnibus hoc malo affectis adesse debere. Possunt infarctus & penuria humorum una adesse, potuit sanguinis abundantia per praegressas, quae in hoc morbo instiui solent, evacuationes admodum esse imminuta, ipsi infarctus, in intestini recti venis haerentes, sanguinis profluvio portam praecludere valent; & quae non aliae conditiones in Corpore existere possunt, quae sanguinis fluxum versus alias partes potius, quam venas sedales, dirigunt atque derivant?

Vomitus cruentus.

XVIII. Frequenter occurrit quaedam Vomitus cruentus species, qui haud incongrue vomitus hypochondriacus vocari posset, ob causae & symptomatum affinitatem cum affectione hypochondriaca. Adsumt enim tensiones, pressiones, dolores gravativi circa ventriculum & epigastricam regionem; oeso-

k) KAEMPF de inf. Vas. ventr. §. 20.

oesophagi spasmodicae contractions, nauseae, vomiturations: muci, seri rejections, mane in primis; nunc molesta oris faeciumque siccitas, nunc ptielismus periodicus; appetitus modo auctus, modo imminutus; cordis palpitationes, anxietates: alvus adstricta: urinae pallidae: interdum molimina haemorrhoidalalia: mensium turbae. Haec phaenomena interdum per annos in scenam prodeunt, eamque claudit denique vomitus sanguinis, ut plurimum grumosi, picei, nigri; subinde etiam floridus rejicitur. Facta hac evacuatione modo recensita symptomata ordinarie ad tempus cessant, brevi tamen reditura, atque ut plurimum recidivante Vomitu terminanda.

Vomitus hic & reliqua eum comitantia phaenomena pro fundamento agnoscunt, vel ipsum venarum ventriculi infarctum, vel saltem sanguinis accumulationem in illis factam, ortaque abs vicinarum venarum obstructione. Quamvis enim vulgo hepatis, & in primis, ex antiqua hypothesi, lienis indurations in hoc affectu accusentur, sectiones etiam practicae subinde hanc sententiam confirmant; aliis tamen inspectionibus cadaverum hoc morbo defunctorum constitit, vas a ventriculi fuisse infarcta, hepate atque liene bene se habentibus. Conf. §. VI.

Si in eminentiorem gradum adoleverit hoc malum, affectionum constituit, quem morbum nigrum HIPPOCRATIS vel bilem atram turgentem vocarunt medici; tunc plerumque funesti exitus solet esse. 1)

XIX. Particulae heterogeneae, ab infarctuum minera abrep- Morbi cal-
tae, & cum sanguine circulum obeuntes, (XII) si ex quadam culosi, arti-
corpis dispositione ad renes perveniant, atque in eorum vasis
aut

1) Praeter alias supra (VI) recentissimas observationes duae in primis historiae circa hunc ventriculi affectum, funestumque illius exitum legi merentur, quarum altera extit in *The Appendix to the London*

Magazine 1750. & Chirurgi cuiusdam Smith morbum sectionemque practicam continet; alteram suppeditat Cl. BARON in *Memoires de Mathematique & de physique présentés à l'académie royale des Sciences*, Paris 4. 1750. T. I. p. 383.



aut tubulis bellinianis haereant, pathemata nephritica producunt, quin veri calculi principia ponunt.

Pone, easdem particulas ferri ad articulorum glandulas & vascula, robore suo naturali destituta, haerebunt eae pariter, non modo rheumaticos dolores gignent, sed & verae arthritidi & podagras, nodosae olim futurae, occasionem causamque suppeditabunt; praesupposito scilicet eo corporis habitu, quem presupponere licet in iis, qui ad morbos articulares dispositi sunt.

Diversos hosce morbos ex uno hoc eodemque fonte provenire subinde, verosimillimum est, quod mutuum saepissime inter se nexus, alternantesque habeant paroxysmos; quod uterque affectus frequenter cum malo hypochondriaco vel haemorrhoidalibus pathematibus complicetur; quod tophi podagrarii calculique renales ejusdem fere sint naturae, atque arthriticorum urina similis indolis calcem contineat m).

Plus quam probabilem reddunt hanc sententiam curationes, juxta methodum infra enarrandam adornatae, quibus id effectum est, ut hypochondriaci & haemorrhoidarii non tantum, sed & aegri arthritide aut calculo laborantes materiam gypseam, imo calculos ipsos (absque ulla abscessus suspicione, aut doloris illius in hypochondrio dextro, qui felleorum calculorum comes esse solet, praesentia) una cum polypis & concretionibus carni similibus per anum reddiderint, atque amissam recuperaverint sanitatem n).

Vomitus
calculosi in
nephritico
singulare
exemplum.

XX. Egregie hoc thema illustrat vomitus calculosus, quem expertus est gallicus superioris seculi medicus H. R VF V S. Laboratis per quadriennium saevissima nephritide, sine sensibili
renum

m) Memorabilis historia extat in *Etrennes mignones* 1753. de arthritico, qui spatio 8. vel 9. mensium 60. vel 70. libras materiae cretaceae per urinam reddidit. Albam calcem in lotio reperiendam pro certo signo diagnostico arthritidis va-

gae habet medicus anglus Cl. CLERK, quo sc. haec abs rheumatismis distinguui possit; vid. I. PRINGLE *Observations on the diseases of the Army, &c. London.* 8. 1752. p. 187.

n) vid. KAEMPF F de infarctu vas. ventr. §. §. p. 7.

renum vel hepatis intemperie calida o), sensim tamen ab ea liberatus fuit, usu aquarum vitriolatarum Aurelii apud Dajenses; sed vix calculos arenasque emingere cessabat, cum in crudelissimos sinistri lateris cruciatus incideret; dolor urgebat sub costis circa lienem, brevi spatio circumscriptus, ad ventrem & umbilicum se non extendens; alternatim compatiebantur ren sinister & regio ventriculi sinistra, instante in primis vomitu. Ad decimam diem extendebatur primus paroxysmus, alvo interea non suppressa, ut in colico dolore, neque repressa, ut in nephritide; urina, quae mingebaratur copiosa, crassa, turbida, lateritium pulverem, brevi matulae fundum petentem, continebat. Ter quaterve prima hyeme redibat paroxysmus; in auxilium vocata fuere remedia, quae colico dolori opponi solent, uno omisso balneo, a quo pessime se habuit aeger in principio.

Sub tali paroxysmo infestabant, inter cetera symptomata, anxietas praecordiorum & gravis cardialgia, quas excipiebat vomitus frequens & laboriosus cum copiosa, jejuno etiam ventriculo, rejectione materiae e rubro nigricantis, crassae tenacisque, hanc bacillo agitans æger, calculos invenit cineritios & subflavos, quales per urinas primo excreverat, talesque non semel tantum, sed toties deprehendit rejectos cum reliqua materia corrupta, quoties vomebat magno labore & conatu, vel descriptus dolor repetebat. Anno sui morbi postremo 1645. (quo scripsit auctor hanc observationem) dolores sensim mitiores facti fuere, ren parum doluit, sed magis, & longiore intervallo, lien & ventriculus, hujusque regio in primis sinistra p).

XXI.

o) Verba auctoris, proprio calamo suum morbum delineantis, servamus maxima parte.

p) L. RIVERII Opera omnia fol. Lugd. 1679. p. 566. Obs. 6. Admodum brevis subinde datur via a venae portae systemate ad cavam, renalesque venas, & vice versa; dum interdum inter harum alteram ac

ramum splenicum communio observetur, mediante canali valvulis prorsus destituto, a renali vena oriente, & in gastricam sinistram dehiscente, quae una cum gastro-epiploicis & epiploicis sinistris splenicae venae immittitur. Talem observationem descriptam dedit Cl. SCHMIEDEL in Libel. de Varietatis vasorum p. 26.



Uteri infarctus, eorumque phaenomena.

XXI. Uteri infarctus, sive haereant in ejus vasis, sive in ipsa cavitate, sive in hac & illis simul, varia producunt symptoma. Sanguis, qui menstruatim excernitur, fibrosus est, glutinosus, subinde putridus, fluit modo largius, modo parcus; Urina mingitur incocta, tenuis, pallida, modo majore, modo minore quantitate. Abdomen tumet tumore, plus minus magno, aequali vel inaequali, & duriore; mamas replet liquor, lac aemulans, etiam extra graviditatis statum. Adsunt praeterea phlogoses, palpitationum cordis crebriores & repentinae insultus: anxietates: pressiones doloresque, veros spuriosque parturientium dolores mentientes, & nonnunquam sub his ipsis moliminibus dolorificis excernuntur membranacea, polyposa, cartilagineam subinde substantiam duritiemque referentia, concrementa, a veris molis omnino diversa. Neque rarus est in hoc affectu ipsius uteri, vel etiam vaginae, prolapsus.

Graviditas modo revera adest, modo adesse putatur, ob abdominis mammarumque turgescientiam; plurimi tunc interest, ut medicus veram discernere satagit abs apparente, sollicite pensitando & praesentia phaenomena, & antecedentia, non neglectis iis signis & explorandi modis, quae ars obstetricia suppeditat.

Infarctuum Prognosis.

XXII. Ex his (§. XVII - XXI.) allatis speciminibus displicescit, plurimos eosque diversissimos affectus ex una eademque hac causa morbifica provenire. Plura, quae huc spectent, silentio praetermitto, paucis nunc infarctuum Prognosin expositurus.

Recentiores si sint, neque in nimis solidam massam compati, facilius expugnantur; favent etiam prognosi aetas junior, vires vitae vigentes, sanguinis boni humorumque in universum laudabilem sufficiens copia: E contrario infarctus inveterati, materia infaciens solidior, polyposa, cartilaginea, lapidescens, copia & mole abundans, vires fractae, aetas provectior, corpus exhaustum, cacoehymicum, difficiliorem & diuturnam, quin subinde impossibilem, curationem faciunt.

In genere tempus, quo cura absolvatur, in antecessum definiri certo nequit; dependet illud non solum abs memoratis infarctuum qualitatibus, sed & ab aliis aegri conditionibus, quae resolutionem atque excretionem infarctuum promovere aut retardare possunt.

Complicati cum aliis morbis, horum curationem reddunt difficillimam, quin impossibilem, nisi prius ipsi eliminentur. Sic luem venereum praestantissimis auxiliis frustra oppugnatam, infarctibus vero eradicatis feliciter curatam vidit Cl. KAEMPFF q).

Interdum natura pro medico fuit, prodeunte per totam corporis peripheriam scabie foetida, elephantiasin nonnunquam aemulante, vel excretionibus salutaribus per urinae vias, vel sanguinis rejectionibus $\alpha\omega$ & $\chi\alpha\tau\omega$ factis.

Si intra vasa adhuc integra & illaesa substiterit materia infaciens, atque convenienti methodo fuerit resoluta: cum omni subsequentis perfectae sanitatis spe evacuatio procedit; si vero, acris redditia, vasa sua ruperit, vomitum cruentum, similesve dejectiones per alvum fecerit, hae quidem excretiones sub appropriatorum remediorum usu absolvuntur cum euphoria, metus tamen est, ne hydrops aut febris hectica superveniat r). Idem periculum imminet, si malum inveteratum frequentioribus purgationibus, medicamentis calidis, sanguinis missionibus largioribus vel frequenter repetitis, oppugnatum fuerit.

In specie vero uteri infarctus, simili metodo turbati, non tantum scirrhos & hydrops faciunt, sed & frequenter abeunt in uteri exulcerationes, cancrosque immedicabiles; urgentibus vero spasmis, abdominis refrigeratione, vehementiori animi commotione vel venere accendentibus, lethalem uteri inflammationem producunt; si in putredinem abeant, & hanc utero communicant, quae deinde funesti plerumque exitus esse solet. Orificio uterino adhaerentia concrementa, partum reddunt diffi-

q) de infarctu vasorum ventr. §. 7. r) F. HOFFMANN de morbo nigro HIPPOCRATIS §. 13. KAEMPFF l. c. §. 17. p. 21.
p. 10.

difficillimum. Saepius sterilitatis, saepissime vero abortuum causa sunt ^{s).}

Malum etiam curatione majus est, si materia infarciens in venae portarum systemate acerrima facta, putredine corrupta, vasis ruptis, exesis, visceribus scirrhosis, per superiora & inferiora evacuatur; tunc vero ex praegressis crebrioribus matriae nigrae, piceae, foetidae rejectionibus, praesentibus vomitibus enormibus, doloribus, virium languore, ructibus foetidis, singultibus, instantem mortem denunciato ^{t)}!

Cum autem subinde diu in corpore latitent infarctus, absque incommodis admodum insignibus vel periculis visis, aegroti saepe per plures annos symptomata nunc exacerbata, nunc vero ad tempus remittentia experiantur, atque variis palliativis medicationibus malum mitius evadat ad tempus: verae curationis neglectu accidit, ut morbus altiores agat radices, difficilioris fiat curationis, quin eam subinde superet. Hinc igitur vera curatio negligenda vel differenda non est, cum admodum raro salutaribus naturae conatibus malum curetur, sed ut plurimum gravioribus chronicis morbis, vel ipsa denique morte, terminetur.

Methodus medendi.

XXIII. Nunc ipsa methodus medendi recensenda est; ita vero circa ejus expositionem versabimur, ut abstrahendo ab iis, quae in singularibus affectibus, abs memoratis infarctibus oriundis, agere convenit, generales ipsos infarctus curandi indicationes & remediorum enumerationem suppeditemus praecipue, deinde vero breviter alias cautelas regulasque in specialibus morbis observandas proponamus.

Indicationes sunt: 1) infarctus resolvere, 2) resolutos eliminare, 3) eliminatorum reliquias morbosas sanare, & 4) novam eorum genesin praecavere.

Circa primam indicationem id statim animo medentis observari debet, in hoc malo non spissum tantum sanguinem, sec fortiora

^{s)} conf. Disp. de Concrementis ^{t)} KLAEMPF de inf. vas. ventr. S. 17
uteri. p. 21.

fortiora coagula esse resolvenda, morbi vero naturam & sedem non nisi lentam curationem & mitiora medicamenta admittere. Unde ergo adparet, talia applicanda esse remedia, quae lente quidem agant in infarctus, nihilominus tamen illos sufficienter resolvere valeant. Omnibus vero indicationibus, sub quavis curae periodo, ita satisfaciendum est, ut simul potiorum symptomatum respectus habeatur, iisque adferatur medela.

Hisce finibus ex asse respondent enemata resolventia, quae Enematum ad libram dimidiā vel integrā, post alvi exonerationem, usū, quotidie infundi, retineri, & per sat longū tempus continuari debent. Parantur illa ex herbis & floribus emollientibus & resolventibus, amaris, e.g. Hb. malvae, verbasci, beton. hederæ terrestre. absinth. Rorismar. trifol. fibr. &c. Fl. Chamom. verbasci, Hb. c. fl. arnicae, &c. quae cum furfuribus vel simplicibus, vel leviter ustulatis, in sufficiēte quantitate aquae fontanae decoquuntur, & infunduntur, absque salis vel olei admistione.

Ideo vero prae aliis remediorum formulis huic indicationi satisfaciunt enemata, quia per venas bibulas resorbentur, morbi sedi applicantur immediate, eumque, ut in sequentibus monstrabitur, ob vaporis aquei virtutem resolventem, satis efficaciter aggredi atque eradicare valent.

XXIV. Quod enemata resorbeantur, docet usus clysmatum Resorptio, nutrientium **HIPPOCRATI** t), **CELSO** u), **CAEL. AVRELIA-NO** w), aliisque veteribus medicis haud ignotus, totque recentiorum **MORGAGNI** x), **FREINDII** y), **GARENGEOTI** z), & **VAN SWIETEN** a) observationibus confirmatus, ut de rei veritate dubitare haud liceat. Idem demonstrant clysmata inebriantia,

t) Memorabilis locus extat in Libro de salubri viëtus ratione, p. 338. infra medium. Ed. Foës.

u) L. III. C. 19. p. 150. & L. IV. C. 15. p. 225.

w) de morbis acut. L. 37. p. 170. de morbis chron. C. 3. p. 508.

x) Advers. anat. III. animadv. XVII. p. 31.

y) Histor. medicin. p. 499.

z) Operations de Chir. I. p. 190.

a) Comment. in Bœrh. aphor. T. II. p. 691.

ebriantia, de quibus RHODIVS b), HOMBERGIVS c), SAN-
TORINVS d) & ACTA ANGLICANA e) exempla suppeditant.
Huc etiam facit effectus febrifugus enematum chinatorum,
quem laudant viri fide dignissimi, BAGLIVVS f), HELVE-
TIVS g), WERLHOF h), v. SWIETEN i), &c. In sphaceli
atque variolarum curationibus MONROO ea depraedicat k).

Quoniam vero ex hisce observationibus aequa pro vasorum
lacteorum quarti generis WINSLOWII, ac quidem pro vena-
rum mesentericarum resorptione argumentari liceat: alia pro-
ferenda sunt, quae stricte hanc posteriorem confirmant, argu-
menta. Huc equidem traho illa experimenta anatomica, qui-
bus constitit, materiam ceraceam, aquam, variosque liquores
venis mesentericis infusos in cavum intestinorum penetrasse l).
Venis haemorrhoidalibus injectam ceram vel aquam in crassa
intestina exiisse notavit Cel. KAAVm). Ex hac igitur viae li-
bertate, quae venas mesentericas & intestina intercedit, ex
communi venarum officio & venularum capillarium proprie-
tate non immerito concluserunt Physiologi, venas mesentericas
resorbere liquidum ex intestinis.

Ad oculum, ut ajunt, demonstrant hanc veritatem expe-
rimenta, quae ipsam hanc resorptionem oculis spectandam
praebuerunt. Sic ex jejunii & ilei cavo olea aetherea facilem
transitum in venas mesentericas consecuta esse vidit I. M. HOFF-
MANNVS n). Spiritum vini eandem fecisse viam experimento
cognovit MERYVS o), & simile experimentum in intestinis
crassis successisse affirmat p).

b) Obsery. med. Cent. I. obs. 38.

k) *Essais d'Edimbourg.* T. V. art. X.

c) *Hist. de l'acad. r. des Sciences.* 1700.

l) BRVNNER de glandulis duodeni p. 61.

d) p. 125.

HALLER Comment. in Boerh. I.

e) p. 598. cit. HOFFMANN. Op. T.I.

p. 849. n. 4. KAAV Perspiratio-

p. 468.

dicta HIPPOCRATI, 8. Lugd. B.

f) Prax. med. L. I. C. 13. §. 9.

1738. §. 466. 467. 473.

g) *Methode de guerir toutes sortes des*

m) l. c. §. 474.

fièvres sans rien prendre par bouche,

n) Dissert. anatomico-physiol. in VAN

p. 4. seq.

HORNB microcosmum. 4. Alt.

h) Observ. de febribus. 4. Hannov.

Nor. 1685. §. 27. p. 105.

1745. o. 78.

o) PANTONVS Dissert. anat. p. 124

i) Comment. T. II. p. 567.

p) *Histoire de l'acad. r. des Sciences,* 1717

Palpabilia atque omni exceptione majora sunt ill. KAAVII
experimenta. Is aquam tepidam ventriculo canis statim post
mortem incisi infusam a venis bibulis resorberi, venas gastricas
ingredi, venae cavae reddi, atque ex ea prope cor incisa
effluere vidit; porro observavit, aquae infusione continuata
per horas, denegato simul per oesophagum exitu, aquam intestina
replere, eamque ex his a venis mesentericis resorberi,
venae portarum tradi, ut tandem ventriculus & intestina, lin-
tei instar, pallescerent, heparque ipsum exsangue redderetur q).
De resorptione, quae fit in intestinis crassis, disertis verbis haec
habet: „Venulae ex intestinis crassis osculis suis resorbent, in
„vivis, ut ex tenuibus, nisi quod venulae hae pauciores, at
„simul & capaciores sint r).

XXV. Non jam disquiram, an clysteres etiam per intesti- Transfuda-
norum parietes porosque transfudare possint? Simile quid suspi- tio per po-
care videtur Cel. TRILLERVS, his verbis: „Nec dubium de- ros intesti-
„nique plane est, quin blandi vapores & anathymiases alibiles norum.
„clysterum nutrientium per ipsos intestinorum poros, aliasque
„caecas adhuc & abstrusas vias & vasa quaedam resorbentia,
„imbibentia & attrahentia, ob immensam sui subtilitatem,
„nobis, ut mille alia, hucusque forsan incompta, ad sangu-
„nem ipsum deferri possint, sicque vis illa alimentaria venis
„arentibus & marcentibus in irrigationem ac refectionem tem-
„pore summae necessitatis benigne infundi queat s).

Eandem suspicionem fovet toties laudatus KAEMPFF t),
eamque probabilem fieri credit ex BAGLIVI observatione, qui
lotionem ex juscule carnis & oleo amygdalarum dulcium infu-
sam, per siphonum retentam, tandemque totam cum urina ex-
cretam vidit, ut nihil per alvum secederet, oleumque lotio in-
nataret u). Sed quicquid veritatis huic opinioni insit, id cer-
tum est, poros, qui vasorum oscula non sint, haec tenus per ex-
peri-

q) l. c. §. 469 - 471.

t) de infaret. vas. ventr. §. 23. p. 27.

r) l. c. §. 474.

s) Progr. de clysterum nutrientium u) Dissert. varii argumenti, in Oper.
antiquitate & usu. 1750, p. 12. p. 585.



perimenta demonstratos non esse, laudatamque observationem cum multis aliis similibus ex vasorum exhalantium atque inhalantium functionibus posse intelligi atque explicari; cum ergo certae, & experimentis demonstratae, viae venarum resorben-
tium, explicandis & intelligendis clysmatum effectibus sufficere mihi videantur: has minus certas elabendi rimas non admodum urgeo, neque tamen plane negandas esse existimo.

Quomodo
clysmata
Iæ Indica-
tioni satis-
faciant?

XXVI. Itaque per memoratas venas resorbentes enemata resorbentur, atque sub specie tepidi vaporis infarctibus applicantur immediate. Nihil vero ad duriora concrementa animalia resolvenda aptius est vapore aquae tepido, quod experimen-
to cum Cornu Cervi factō facile demonstratur, hoc enim, si vaporī tepido aquae exponatur, ita mollescit, ut cultro, gelati-
nae instar, scindi queat, quin sponte diffluat fere w). Haec enim aquearum particularum proprietas est, ut sese inter cor-
porum elementa & particulas insinuent, docentibus id experi-
mentis physicis: chartarum laciniae aqua madefactae sexta fere
parte fiunt longiores x), coria aquae immissa pariter elongan-
tur y), atque hygrometrorum chordae a vaporibus ex aëre hu-
mido haustis intumescunt.

Dum vero aqueae particulae corporum ipsis expositorum elementis se interponunt, haec a mutuo contactu removent,
& cum ipsae parum inter se cohaereant, corporum cohaesionem necessario infringunt, ea emolliunt ac solvunt. Si ergo diuturno clysmatum usu tepidus vapor per longum tempus jugiter his infarctibus applicatur, fieri non potest, quin eorum cohaesio magis magisque infringatur, ac tandem plane esse desinat.

Quid ulte-
rius prae-
stent?

XXVII. Interea vero dum hac ratione clysmatum usu primae indicationi satisfit; ea egregios quoque effectus in intestinis reliquisque infimi ventris visceribus exerunt, atque simul potiora concomitantia symptomata optime superare valent.

Eae

w) v. SWIETEN Comment. L p. 39. 46.
x) *Memoires de l'acad. des Sc.* 1714. p. 72.
y) *Wolffens Versuche* II. §. 98.

Eae enim, quas commendavimus, lotiones intestinis infusae, ea abstergent, blanda mucilagine demulcent, variam in illis haerentem amurcam, fecesque diluunt, corrigunt, emolliunt atque evacuant, fibras intestinorum siccas & spasmo affectas irrigant & laxant: intestina quoque tenuia, ventriculum, lienem, nervos, vasa omnesque partes, quas amplissimum colon vel circumdat, vel tangit, amico calore fovent, sicque doloribus spasmisque medentur efficacissime haud secus, ut eleganter HOFFMANNVS ait, „ac vesica decocto emolliente repleta extrinsecus apposita, in magnis internarum partium doloribus, spasmis & inflammationibus levamen afferit praestantissimum. z) Segniorem praeterea, qualis in his morbis solet esse, alvum blande stimulant clysmata, motumque intestinalum peristalticum in universum in ordinem reducunt, & dum vasa abdominalia blando calore circumfundunt, eo derivant sanguinem, & consequenter noxias ejus a spasmis abdominalibus oriundas restrictiones versus pectus & caput impediunt. In sanguinis vero & humorum circuitum quoque clysteres agere, & ad excretiones movendas contribuere aliquid, non tantum ex subsequente pulsus immutatione, sed & ex perspirationis & urinae uberiori successu luculenter patet. a)

XXVIII. Clysmatibus certo sensu affinia sunt infusa theae-Quem
formia, ea enim praeter facultatem, sanguinem diluendi & re-
solvendi, & eam possident, ut venis ventriculi bibulis inhala-
ta, concrementa polyposa in his & vicinis venae portae vasis
nidulantia macerare, emollire ac resolvere queant. Huic fini
ut respondeant, parantur ex radicibus herbis & floribus aperi-
entibus atque resolventibus, quales v. g. sunt Rad. Pimpinellae,
gentianae, rhabarbari, taraxaci, caryophyllatae, &c. Hb.
millefolii, hederae terrestris, centaurii minoris, melissae,
veronicae, &c. Flores primulae veris, chamomillae rom.
bellidis, tiliae, &c. Herba cum floribus arnicae egregie re-
solvit,

usum ha-
beant infusa
theaefor-
mia,

z) De balneorum, pediluviorum & p. 468. §. 24.

clysterum usu medico. Op. o. T.I. a) HOFFMANN I.c. §. 17. p. 466.



solvit, exhibenda vero est in refracta dosi, saltem in principio, cum frequenter cardialgiam faciat; hisce cortices aurantium, citri, vel cinnamomi exiguum dosin addere possumus.

& alia medicamenta interna?

XXIX. Clysматibus & infusionis theaeformibus commode junguntur alia interna medicamenta, quae resolvendo lentem sanguinis dyscrasiam corrigant. In horum censum veniunt varia antea jam memoratorum vegetabilium extracta, pilulae balsamicae ad mentem HOFFMANNI vel STAHLII confectiones, pilulae de Gummi ammoniaco juxta Dispensatorium Wirtembergicum, gummi ammoniacum aceto squillitico solutum, omninaque gummi foetida, in pilularum forma, cum sapone vento, exhibenda. Salia media: Tartarus vitriolatus, terra foliata tartari: refracta Kermes mineralis, sulphuris antimonii auri ultimae praecipitationis dosis, pulverum formae convenienti, cum radice ari praeparata, succino, &c. Si vero forma fluida preferenda sit, praesto habemus tinturas antimoniales, liquorem terrae foliatae tartari, liquorem anodynum mineralm H. Essentias succini, pimpinellae, &c. quibus extracta etiam & pilularum massae in convenienti menstruo solutae admisceri possunt, talisque mistura guttatum propinari cum infuso theaeformi appropriato.

Horum insufficientia; enematum praerogativa, necessitas.

XXX. Quamvis vero recensita haec remedia interna praecipue vix quidem sufficere mihi videntur, utpote quam a clysmatibus tantum expectandam esse censeo, ob sequentes potissimum rationes:

1) Omnia per os assumta medicamenta liquori gastrico pancreatico, bili, muco, plerumque in hoc morbi genere corruptis viscidisque miscentur, iisdem obvolvuntur, sive etiam ob languentes digestionis vires non solvuntur satis, ergo vasa lactea venasque resorbentes subire non possunt, neque humorum massae admisceri, aut, si admisceantur, longa via post multas mutationes, alterata demum ad locum affectum mali

qu-

que sedem feruntur, unde non possunt non leviter tantum in illam agere; cum e contrario clysmata, evacuatis fecibus & abstensis intestinis, libere absque multarum heterogenearum particularum admixtione plenis viribus & breviori via advenientia, mali portam pulsent immediate.

2) Experientia constat, ejusmodi medicamenta interna omnia, eaque selectissima, in malo hypochondriaco inveterato aut alio quovis morbo, qui hosce infarctus pro fundamento agnoscit, frustra adhiberi, si non quotidianus clysmatum usus iis jungatur. b) Mitigatum ex eorum usu fuisse malum, plurimae morborum historiae docent, curationis plenariae nulla habemus exempla, aut rarissima, & in iis tantum casibus, ubi mitior mali gradus, simplex sanguinis spissioris aggestio (probe abs concrementis polyposis distinguenda) obtinuit, aut natura ipsa morbum sanavit.

Alleviationem vero afferre aliquando posse talia remedia interna, conceptu facile est, dum quorundam symptomatum causam proximam tollere valent; sed quam breves, quam fallaces sunt istae induciae! plerumque enim priora, aut alia interdum pejora, redeunt symptomata, manifesto indicio: fomitem mali extinctum non esse.

Probe id observarunt medici sagaciores, hinc, post longam in suis libris remediorum methodique medendi expositionem, abstinere jubent abs medicamentis, fatentes: Saepe plus praefidii

b) Hoc assertum innumeris fere confirmari posset observationibus, ex multis vero unicum medici cuiusdam, Cl. HOPPE de se ipso testimonium feligam. Ich kan, ait ille, meine Leser versichern, daß ich bey meiner Hypochondrie fast nach allen Methoden curirt worden, nachdem die Aerzte, die ich gebraucht, dieser oder jener Theorie von dieser Krankheit beygepflichtet. So habe ich nicht nur die staerkenden Mittel, (visceralia)

die Gesund-Brunnen und süsse Molken mit großer Gedult gebraucht, da man mich nach des Hrn. HOFFMANNS Methode curirte, sondern ich habe auch die auflösenden und seifenhafti- * v. Epicri- gen Arztneyen, die BOERHAAVE sis critico- und DE PAYVA * so anpreisen, mit apologetica starkem Vertrauen genommen. - - - de affectu ich verspürte von allen solchen Medi- atrabilario, camenten keine Wirkung. Hambur- &c. Romae gisches Magazin, XI. B. pag. 344. 4. 1751.
345.



sidi in recto vivendi genere, corporisque exercitatione positum esse, quam quidem in hisce remediis. Hinc etiam MON-TANI dipterium: Fuge medicos & medicamenta, facileque convalesces!

Longe aliter de clysmatum usu quotidiano loquitur experientia. Certum est, afferit Cl. KAEMPF, longa observatione edoctus, „quod in coagmentationibus illis filamentoso-fibrosis hic loci (sc. in venis abdominalibus) nidulantibus eli-„minandis omnia alia remedia incertos praestent effectus, & „in concretionibus illis gypseis sine clymate lapis minime mo-„veatur. Laudes hae, ita pergit Cl. Auctor, „omnino effe-„ctui respondent; haud enim pauci casus nobis obtigerunt, „ubi enematum usu quotidiano ejusmodi concrementa poly-„posa, pondere saepe libram integrum & longitudine ulnam „adaequantia, & formam vasorum retinentia, (adeo ut tyro-„nibus imposuerint, putantibus, se videre partes solidas) nec „non conglobationes steatomatosas, ovi gallinacei magnitu-„dine, & magnam copiam calculorum durissimorum per anum, „vel substantiae stagnantis quid magis resolutum per cutis po-„ros, sudore foetidum spirante odorem, aut per renum tubu-„los, urina materia mucosa, filamentosa referta, & arenosa „turbulenta adparente, summa cum euphoria evacuata obser-„vavimus.,, c) Observationes, quas modo laudatus vir in-„triga saepius jam citatarum Dissertationum publici juris fecit, ad unam omnes hoc assertum confirmant, & similis successus specimina suppeditant. Ex illis in primis ea huc pertinet, qua solis enematibus & radicis juniperi decocto vasorum ventriculi infarctus vomitu inque cruentum se profligasse memorat. d) Huic similis est FORESTI observatio, qui se non alio quam Clysterum praesidio vomitus cruenti morbum curasse refert. e) Solo clysmatum ex amaris & balsamicis remediis confectorum usu desperatos hypochondriacos ad sanitatem se reduxisse testa- tur

c) De infarctu Ivas. ventr. S. 24. d) I.e. Cas. 8. p. 35.
p. 28. e) Libr. XVI. Obs. 24.



tur HERCVLES SAXONIA. f) Pro complemento probatio-
num testem adduco medicum judicissimum, qui primo loco
nominandus fuisset, *celeberrimum Serenissimi Ducis archiatrum*
D. D. REVSS; Ille scilicet inveteratis hypochondriacis hysteri-
cisque diuturnum clysmatum ex emollientibus & resolventibus
concinnatorum usum suadere solet, jubetque ea, pro re nata,
bis in die infundere, eo fine, ut non solum alvus respondeat,
sed etiam ut humores spissi in abdominis valis visceribusque re-
solvantur.

Eo confidentius autem haec edissero, cum per integri fere
anni decursum clysmatum effectus sedula & quotidiana obser-
vatione annotare mihi licuerit in hypochondriaco, qui per plu-
res annos curae medicorum & eruditione & praxi clarissimo-
rum frustra se commiserat, donec tandem ad quotidianum cly-
smatum usum ventum fuerit. Per trimestre autem tempus cly-
steres quotidie injiciebantur, absque ullo sensibili effectu; sed
sub initium quarti mensis, oborta levi febricula, in toto dextro
latere prodibant pustulae rubicundae, non nisi pruritu &
levioris lassitudinis sensu molestae, intra octiduum, squamu-
larum instar, incidentes. Interea vero, & in primis paulo
post, per alvum infarctuum materia evacuari coepit sub varia
forma; polypi modo vasorum figuram exprimentes, modo
quasi in ramenta diserpti aut in frustula dissecti, mucus tenax,
sanguis ater, foetens, liquamen difficile dictu, acidum odo-
rem spirans, fabulum & arenulae successive & vario tempore
prodibant & fecum alvinarum excretionem sequebantur, alter-
nando semper, ut exacte determinare & praedicere mihi po-
tuerit aeger, qualis excretionum materia his vel illis diebus
evacuanda sibi instaret. Per plures autem menses placide, &,
si levem lassitudinis sensum exceperis, absque ulla molestia pro-
cedebant hae excretiones, modo majori, modo minori copia,
cum insigni omnium symptomatum, in primis anxietatum, al-
leviatione, ut tum temporis, quo mihi discedendum erat abs
aegro,

f) L. I. Prax. C. 16. conf. FR. HOFF-
MANN Op. omn. I. p. 467. & EL.

RVD. CAMERARIUS in Disput. de
Clysmatibus. Tub. 1688. p. 28.

aegro, nullum de sanitate perfecte recuperanda dubium super-
esset.

3) Experientia & multorum seculorum observationes docent, lectissima quaevis remedia, judicissima principum medicorum administratione propinata, cordis aut pulmonum polypis resolvendis nunquam suffecisse; quae nunc quaeso ratio adesset, cur eadem remedia, quae talia concrementa in iis locis, ubi vegetior sanguinis motus favere posset, emollire & solvere non valent, illa in alio corporis loco, ubi sanguinis circulus etiam in statu naturali minus viget, solvere valeant?

Clysmatum vero vaporem id praestare posse, nemo dubitat, si ea perpendit, quae paulo superius de calidorum vaporum effectibus in genere differuimus. Si pateret via, quae talis vapor medicamentosus polypis in cordis & pulmonum vasis haerentibus jugiter applicari posset, ut potest hisce venarum concrementis, forsan de eorum resolutione desperandum non esset. Sed ponamus

4) Dari medicamentum per os assumendum, quod hisce concrementis polyposis solvendis sufficiat perfecte, illud sane corpori humano ingerere haud licebit. Omnia enim, quae ordinaria via in canalem alimentarem veniunt remedia, universae massae humorum miscentur, atque ipsi pro diversa, quae pollent, indole diversas inferunt mutationes, magis minusve sensibiles; caveri ergo non poterit, quin id, quod mente fingimus, remedium aequem omnem humorum massam mutet & solvat, ac quidem ipsum polypum; quae vero exinde oriatur humorum dissolutio & fusio antequam polyposi concrementi connexio turbaretur? Hoc bene perspexit Cel. Galliae Medicus HELVETIVS, qui de pertinacibus glandularum obstructi-
nibus ita loquitur: *Quelquefois l'humeur est fort épaisse & s'attache aux parois de ces vaisseaux, comme une espèce de colle dure & tenace. - - Pour lors la guérison devient presque impossible: il n'y auroit pas même de prudence à la tenter. Car avant que de pouvoir fondre l'humeur endurcie, on courroit risque de jettter toutes les autres*

autres liqueurs dans une dissolution totale , qui termineroit bien-tôt la vie du malade g).

Felici itaque opportunitate clysmata omnes requisitas proprietates in se unitas habent ; malorum enim sedi quam proxime adplicari possunt, in vapores resoluta, concrementa & corpora animalia efficaciter solvere valent, hancque resolutio-
nem , ut naturae & rationi consentaneum est, lente peragunt,
neque humoribus corporis humani ullam perniciosam inferunt,
mutationem, sed potius diluentis & resolventis medicamenti
vicibus funguntur.

XXXI. Sed annon ex quotidiano & adeo diuturno clyste- Dubia re-
rum usu totius tubi intestinalis debilitas oritur ? annon ille moventur.
ipse vapor , qui sub minimarum particularum forma vasorum
concretiones subit ac solvit , etiam interi intestinalorum fibras
earumque elementa sese insinuat , & illa ipsa pariter a contactu
removet ? ad speciosam objectionem respondeo ; omnino ali-
quam vaporis portionem fibris se insinuare , sed cum humidita-
te debita plerumque orbatae sint , earum vires erigere potius
quam perdere. Non gratis hanc siccitatem , liquidique inte-
stinalis penuriam suppono ; ut taceam , quae ratiocinia suppe-
ditare possent, argumenta, eam satis testantur feces siccissimae,
exustae quasi , & molestus, de quo toties queruntur aegri, sic-
citatris & ardoris sensus in intestinis; Fibrarum vero debilitas
tum demum oriatur in hoc casu, si humidum inter earum ele-
menta abundet. Pone nunc intestini membranas fibrasque vel
domestico intestinalorum liquido naturaliter repletas, vel infusa
lotione sufficienter irrigatas esse : vix ultra aliquid admit-
tent repleta fibrae interstitia , cum experimentis constet , non
multum imbibere membranas jam madidas & humore satu-
ras h), & multo expeditior tunc est via per venulas resorben-
tes, quas continuo subibit vapor, qui, quod ulterius monen-
dum est , ex herbis resolventibus atque amaris etiam aliquid
tonici

g) Idée generale de l'Oeconomie animale, h) v. HALLER prim. Lin. physiol.
a Lyon 12. 1727. p. 155. §. 757.



tonici hausit, quod roborare potius queat intestinalem tubum, quam debilitare. Sed nodum in scirpo quaerimus, cum experientia optime hoc dubium refutet. Parum enim ego ipse fidens clysmatibus, sedulo in id animum intendi, ut, quae eorum usum sequerentur digestionis atque egestionis mutaciones, experirer; sed sincere affirmare possum, ex quotidianis illorum infusionibus, quae saepius bis in die instituebantur, nunquam reddebantur, & per integri fere anni decursum continuabantur, nihil detrimenti redundasse in digestionis egestionisque officinas, quod si unquam, certe in hoc aegroto, evenire debuisset, cum habitus esset laxioris, neque admodum firmo fibrarum systemate gauderet.

Ponamus vero, oriri exinde aliquam intestinorum debilitatem, ea tanti momenti malum non esse videtur, quod ab extirpatione majoris mali detinere deberet medicum, facile enim illi medentur ea medicamenta, quae tertiae indicationi, & in specie languentibus digestionis viribus excitandis destinantur, de quibus paulo infra dicemus.

XXXII. Curiōsa magis quam vera est illa objectio, quae nescio quam naturae consuetudinem causantur; dicunt, iterato clysmatum usu, alvum ita iis adsuefieri, ut, absque illorum admonitione, suo in posterum non fungatur officio.
 „Ratio (ita huic dubio respondet Cl. KAEMPFF:) „, & experientia contrarium probant, cum clysteres allegata methodo, concinnati glandularum ductulos, intestina crassa lubricantem & scybala indurata diluentem succum plorantes, aperiendo, constrictiones relaxando, &c. alvi functiones in aegris, qui quotidie duos tresve sumserunt, potius in stabilem ordinem redegerint i).

Aliter omnino res se habet, si lotiones infundantur oleosae & pingues aut salibus impregnatae. Olea enim, ob tenacitatem suam, intestinorum parietibus adhaerent, liquido intestinali exituro viam praecludunt, & dum irritabiles fibras ob-

vol.

i) de infarct. vas ventr. §. 25. p. 29.

volvunt, naturalem stimulum, quo feces per intestina crassa promoventur atque egeruntur, omnino impediunt. Salia vero, dum jugiter & plus justo stimulant, fibras quasi callosas reddunt, earumque irritabilitatem ita minuunt, ut, ad naturalem stimulum insensiles factae, fortiori omnino calcare admonendae sint postea. Hinc oleosa & salina enematum quotidianorum decocta exulare voluimus; si vero pro re nata oleum quoddam lotioni addere necesse visum fuerit, id fieri poterit absque damno, cum non fiat quotidie, & oleum, intestinorum parietibus agglutinatum, clysmatibus ex herbis resolventibus, amaris, &c. factis abstergi queat atque educi, testante KAEMPFPIO k).

Virium prostrationem & nescio quam debilitatem enematum usum sequi, vulgi somnia sunt, quae ridet sapiens medicus. In debilissimis quidem aegris ac iis, qui nervorum systema habent mobilissimum, enematum infusiones turbas excitare non-nunquam posse, non negaverim; sed suaderem in hoc casu, ut partitis vicibus exigua quantitate infunderentur, ad aliquot uncias tantum, addita olei amygdal. dulc. vel sirupi papaveris albi, vel alias medicamenti sedativi, aliqua portione; quae etiam cautela adhibenda est, si difficulter retineantur infusiones.

XXXIII. Ex haec tenus dictis clysmatum praerogativa, necessitas ususque innocuus in resolvendis infarctibus. abunde patent. Pertinaciter itaque iis insistendum est, neque de felici eventu desperandum, licet elapsis aliquot mensibus infarctuum evacuatio nondum in conspectum prodierit, nam & hic

gutta cavat lapidem non vi sed saepe cadendo.

Si vero concrementa excerni coeperint, tum omni solicitudine haec salutaris evacuatio sustentanda, imo, quantum fieri potest, promovenda est, cavendo tamen, ne intempestiva sedulitate plus obsimus, quam prosimus. In hunc finem clysmatibus (quae & per hanc curationis periodum continuanda sunt) addi possunt aliquot grana pilularum balsamicarum, ad HOFFMANNI vel STAHLII mentem

Quomodo
satisfacien-
dum IIæ in-
dicationi?

mentem concinnatarum, vel etiam alternis diebus lene laxans rhabarbarinum propinare convenit. Est, ubi pilulis balsamicis commode extractum rhabarbari aquosum substituitur; si vero hac pilularum vel extracti additione clysma rejici observetur, satius est ab iis abstinere, ne ejus effectum, quem expectamus, resolventem frustremur. Ex eadem ratione laxans semper aliquot horis post enematis infusionem hauriendum est, si enim citius propinetur, illud rursus eliminatum, ideoque frustra infusum fuisse plus semel observavi.

Egregie quoque infarctuum evacuationem adjuvat sufficiens & placidus corporis motus quocunque modo institutus, modo aegrotantium viribus proportionatus sit.

Frictiones abdominis, panno laneo mane & vesperi per horae quadrantem & ultra institutas, largiores semper concrementorum evacuationes insecuras esse notavi. Memoratu quoque dignum est, largiorem paulo & frigidiusculum, sive aquae, sive vini, haustum admodum promptam & solito copiosiorem excretionem sequi. Itaque pro diversa rerum circumstantia modo his, modo illis potius adminiculis ad expediendas & caute promovendas hasce excretiones uti licebit; in primis vero eo animum intendere oportet, ut vegetus sit sanguinis & humorum motus, hoc enim vigente, optime excretiones expediuntur, non per alvum tantum, sed & per urinae & transpirationis vias.

Quomodo
tertiae

XXXIV. Quod *tertiam indicationem* attinet, praecipue id est agendum, ut abolitus venarum, ab infarctibus ultra sphæram elasticitatis dilatatarum, tonus restituatur, cui fini inserunt iterum enemata, quae vero magis roborantia esse debent, & ex herbis atque radicibus amaris, leniter adstringentibus & aromaticis, addita convenienti quadam pilularum massa, concinnari possunt. Operae pretium etiam faciunt extracta amara, cum vino generoso in elixirii formam redacta cujus specimen habemus in Elix. stom. temp. HOFFM. Neminius essentiae vegetabilium aromaticae, tincturae martiales trageae stomachicae, vina medicata, &c.

Si vero, ob infarctus inveteratos & incarceratos, vasa non modo dilatata, sed exesa fuerint; tunc omnino perfectam medelam haud admittit malum, cum illa resarcire, artem medicam superet.

Interim tamen tentandum est, quid valeant enemata ex medicamentis balsamicis travmaticisque confecta; eam enim & heic praerogativam tuebuntur clysteres, quod plenis viribus immediate ad locum affectum pertingant. Saepe in hoc casu accedit, ut chronica & vix medicabilis excretio materiae mucosae, sabulosae, &c. per anum, uterus, urinae vias sequatur, quae, cum nullum sanitati detrimentum afferat, aegrique notabilem omnium phaenomenorum morbosorum imminutionem sentiant, sibi ipsi est relinquenda, neque contraria medicatione turbanda.

Eadem, quae *tertiae indicationi* destinantur, praesidia, & *quartae?* *quartae* debentur, per sufficiens autem tempus medicamentorum usum continuare decet; causae occasioneles (IX.) vitandae sunt, observatis diaeta & regimine convenientibus.

XXXV. Omnia, quae hactenus proposui, in genere indicant, quae circa infarctuum curationem sint agenda; judiciosi & sapientis medici opus est, concinnare remediorum formulas, & dispicere, quae cuivis individuo convenient; interim, ante quam diaetae & regiminis expositionem aggrediar, nonnulla, quae in specialibus casibus vel agenda vel fu-gienda sunt, breviter indicabo.

XXXVI. Omnes sanguinis ventilationes, quocunque eae Cautelae fiant modo, summa cum circumspectione administrandae sunt. Oppido clarum est, infarctus completos, qui fixam sedem circa sanguini- habent, venaesectionibus & hirudinum adlicatione neque nis ventila- loco moveri, neque resolvi posse; quin paulo largius aut re- tiones. repetitis vicibus administratae sanguinis missiones primariae in- dicationi, infarctuum scilicet resolutioni, admodum contra- riae sunt, curationemque reddunt difficillimam, quod sae- piissime se expertum esse testatur *Cl. KAEMPFF.* Hujusmodi

enim exinanitionibus debilitatur admodum tam solidorum, quam fluidorum motus, qui auctior factus egregie infarctuum resolutionem atque excretionem promovet. „ Illius „ enim indoles & praecipua virtus est, ut humores subsistentes eorumque stases & stagnationes concutere, latibulis extundere, resolvere, iterum in motum ciere, & sic obstrunctiones vasorum referare possit. Hic quoque motus spissos immobiles impactosque humores fluxiles ac progressu idoneos reddit, pariterque copia delinquentes succos ipsumque sanguinem per congrua loca exonerandos, nec non excrementios, serosos, salsos per diversi generis emunctoria proscribendos quam maxime idoneus est „ 1).

Cacochymia & varii plethorae effectus ex infarctibus propullulant; (§. X - XIII.) itaque non nisi horum eliminatione cum constantia tolli, interea vero remediis convenientibus, inedia & corporis exercitatione minui possunt m).

Admittendae vero sunt sanguinis ventilationes in *initio morbi* potius, quam ipso morbo, ubi nulla de veris infarctibus est suspicio, ubi aeger evidenter plethora laborat, & non nisi lentior spissor sanguinis circuitus mali causa est. In *vomitu cruento*, ex fluidi sanguinis circa ventriculum congestione orto, venaesectio magnam curationis partem absolvit. Ea etiam celebranda est, ubi graviori cuidam symptomati urgenti, e. g. *apoplexiae*, sanguinis missione promptum ferri possit auxilium.

Circa purgantia & laxantia.

XXXVII. Purgantia, quin laxantia saepe repetita, nocent; spasmos enim augent, ventriculum totumque intestinorum canalem debilitant, emungunt suis succis (qui partim intestinorum tunicas irrigare, partim resorberi & venae portarum sanguini tradi debent) vasorum concrementa neque solvunt,

1) F. HOFFMANN de optima naturae morbis medendi methodo, Oper. om. T. I. p. 406. §. 7.

m) Confer. F. HOFFMANNI Diss.

de medico sui ipsius, §. 17. Oper. om. T. V. p. 244. & ejusdem Diss. de Inedia magnorum morborum remedio, §. 4. Op. T. V. p. 330.

solvunt, neque eliminant, sed subtractis fluxilioribus humoribus ea potius firmant & augent. Varii aegri, hypochondriacis in primis pathematibus laborantes, mihi hac de re sciscitanti affirmaverunt, se, post leniter etiam laxantis medicamenti assumptionem, semper majorem flatulentiam, & alvi, antea segnis, pertinaciorem constipationem expertos fuisse.

XXXVIII. Aquae minerales, ad quas, tanquam ad sacram anchoram, confugiunt in multis morbis chronicis, & in specie in pathematibus hypochondriacis, licet interdum quorundam symptomatum inducias faciant, mali tamen nostri materiam, causam, sedem non attingunt, nec tollunt; imo cum praemissis, subinde etiam interpositis, venaesectionibus & laxantibus, magna plerumque quantitate ingurgitentur: majorem visceribus chylopoieticis inferunt debilitatem, malumque adaugent; Hinc merito de illarum usu in malo hypochondriaco censem *Cel. IVNCKERVS*, quod remedium gravius sit ipso morbo n).

XXXVIIII. In infarctibus vasorum ventriculi sacculos Quid in spe-
mica panis & speciebus nervinis repletos, liquore quodam cie agen-
spirituoso irrigatos regioni epigastricae imponere convenit. dum in in-
Eidem scopo inserviunt unguenta ex unguento altheae, oleo farct. vas.
chamomillae, verbasci, lauri, cum spiritu vini camphorato
vel alio liquore spirituoso subacta. Hisce etiam, sub ipso
vomitu cruento abs memoratis infarctibus orto, nimios suc-
cussus moderari, imminentemque ventriculo inflammationem
praecaveri asserit *C. KAEMPF*.

XL. In ipso hujuscemodi vomitus paroxysmo modo laudato. In vomitu
datus *auctor* enemata ex olei lini unciis decem & tribus ovo-
rum vitellis, pediluvia artuumque inferiorum frictiones com-
mendat, aquas diapnoicas, temperantes, diluentes cum tan-
tillo extracti cascarillae, liquoris anodynī min. H. & essentiae
mille-

millefolii exiguis dosibus propinare jubet; cum pulveres ventriculus non ferat atque ipsum nitrum suspectum sit. Post paroxysmum grumos sanguinis in ventriculo remanentes eliminandos, fibrasque roborandas suadet extracto rhabarbari aquoso o).

In uteri infarctibus re-solvendis?

XLI. In concrementis uteri resolvendis juncta graviditas caute incedere jubet medentem. Acquiescendum tum est in enematibus quotidianis, partitis nonnunquam portionibus infundendis, in infusionibus theaeformibus aperientibus, temperatis, in unguentis, §. XXXVIII. descriptis, abdomini & regioni pubis illinendis, adjunctis pro re nata pilulis balsamicis. Omnia vero horum remediorum usum modo suspendere convenit, modo reassumere, prouti prudenti medico e re visum fuerit, qui solcite cavebit, ne incongrua remediorum administratione abortui vel alii malo occasio suppeditetur.

Post partum vero non solum uterum a sanguinis grumis purgare decet, sed etiam perita obstetricantis manus explorare debet, annon in ejus cavo talia haereant concrementa? & si adsint, ea ab utero separari & extrahi debent, illis prorsus adhibitis cautelis & encheiresibus, quibus adhaerentem utero placentam avellimus atque excutimus.

XLII. Tum temporis etiam convenient injectiones in ipsum uteri cavum factae, mediante siphone in hunc finem fabrefacto. Huic scopo convenit decoctum ex radice juniperi, floribus sambuci cum tantillo extracti myrrhae aquosi, croci & nitro.

Porro etiam, & in genere extra graviditatis statum, spongiae simili decocto imbutas, regioni pubis & genitalibus imponere operae pretium est. Conducunt etiam vapores, ex herbis resolventibus, uterinis, genitalibus immittendi, faccioli (XXXVIII.) scopo tam resolvendi concrementa, quam vasa roborandi.

Hae-

o) de infarct. vas. ventr. §. 37.

Haemorrhagiae si superveniant, eae non stypticis sistendae, sed remediis temperantibus moderandae sunt, atque per totum puerperii tempus id sedulo observandum est, ut lochiorum fluxus rite procedat, & uterus probe purgetur; quibus si ea simul, quae juxta tertiam & quartam indicationem §. XXXIV. commendavimus, jungantur, curatio non tantum absolvitur feliciter, sed & simul nova concrementorum genesis praecavetur. Et haec de speciali concrementorum curatione sufficient.

XLIII. Restat nunc, ut generatim exponam, qualis diaeta & Diaeta & ta, quale regimen aegris, infarctibus laborantibus, convenient? Regimen. *Cibos* quod attinet, paulo solidiores eligendi sunt, ex media materia, ut CELSVS eos appellat, qui minus facile concoquuntur, sed si concocti sunt, plus alunt; simplices vero sunt, sine multo apparatu, sine blandimentis, parati. Pernicious error est, non nisi facillimae digestionis cibos, juscula carnium, cremores hordei, &c. ejusmodi aegris exhibere, dum enim tener & mollis vietus ventriculo ferias facit, idem ipsius fibris muscularibus accidit, quod omnibus musculis evenit, si corpus otiosa quiete diffluat; juscularum vero calidorum continua ingestio notabilem ipsi infert laxitatem, unde digestio indies magis magisque vitiatur. Hinc etiam in ipsa primarum viarum debilitate curanda eo quoque respiciendum esse monet *Cel. LUDWIG*, „ne mera juscula, vel cibi per præparationem jamjam ex parte digesti assumantur; Haec enim, „pergit Cl. Auctor, licet particulis nutrientibus copiosis sca-„teant, primas tamen vias valdopere relaxant. Ea itaque eli-„genda potius sunt ciborum genera, quae quandam consisten-„tiam habent, & post masticationem & salivae admixtionem „praegressam aliquam quoque ventriculi actionem exposcunt, „quo is ad contractiones crebriores & subsequens inde majus „fibragrum robur disponatur. „
In

p) Disp. de primarum viarum debilitate, Lips. 1748. pag. 26. Hoc momentum diaeticum admo-

dum urget Cl. KAEMPF, sequentibus verbis: „Optime experientia didicimus, quod in illis quoque

In debilissimis aegris incipiendum est abs imbecillioris materiae vietu, ita tamen progrediendum, ut pededentim ad validiores cibos deveniamus. Ea vero sit assumtorum quantitas, quae ventriculum minime oneret; coena semper sit parca.

Potui inservire potest, frigida, pura, levis, fontana & cursu exercitata, vel ptisana, ex convenientibus speciebus concinata, & ad aegri gustum accommodata. In prandio etiam modicus vini burgundiaci, Pontac, vel alias bonae notae haustrus subinde converit; in primis vero commendari merentur vina medicata, amara, stomachica, ad aliquot uncias ante pastum haurienda. Caffeae potus, licet, si fabae bonae notae & maturae sint, languenti ventriculo alienus non sit, ob alias tamen rationes suspectus est, neque eum absque subsequentibus incommodis facile ferunt aegri. Cerevisiae, nostrates saltem, liquores spirituosi, non conducunt.

Praeter rectum cibi potusque usum tanquam non leve curationis adminiculum considerandus est *motus*, corporis exercitatio moderata, sufficiens tamen & viribus aegri proportionata: deambulatio, equitatio, vectio in rheda, ludus tunicularis cum pilis eburneis, &c. Imbecillioribus, qui lectulo suo affiguntur, neque ullum exercitationis genus sustinere valent, conducunt frictiones abdominis artuumque.

Litterarum cultores studiis animi vires excitent, non frangant.

Somni etiam ratio habenda est, quem potissimum ante mediam noctem capere satius est. Denique *animi affectuum* cura non est posthabenda. Qui memoratis infarctibus laborant, phantasia varie depravata saepe aegrotant, moerore animique dejectione affliguntur, vel saltem a consueta laetitia detrahi sentiunt

„que affectibus, ubi ventriculi in-
„testinorumque tonus atque actio
„praeprimis languebant, nisi iis
„succurratur, atque remediis phar-
„macevticis simul primario & diae-
„ta solidior subjungatur, optima
„quoque pharmaca operationem

„suam exerere haud valeant, sed
„quod diaeta molliori, evchyla,
„aquosa, juscuisque gelatinosis
„aegrorum pathemata graviora
„reddantur, atque ipse tandem in-
„teritus acceleretur., de inf. vas.
infimi ventris. p. 27.

sentiunt perpetuo; male hinc & corpus habere, notissimum est. Ergo animus erigendus, exhilarandus est, abs tristi imaginationis objecto avertendus, quibusvis mediis huic fini inservientibus.

XLIV. Et hic terminus esto dicendorum! neque enim hic Epilogus. locus vel animus est, gloriose commemorare, quantam lucem morborum, in primis chronicorum, aetiologyae afferre queat proposita theoria, & quos usus praticos habitura sit commenda medendi methodus. Hoc tamen, absque ostentationis suspicione, affirmare ausim, quam plurimos eosque inexpugnabiles subinde reputatos morbos exposita methodo superari posse. Non possum non *practicotati KAEMPFII*, viri cordati & abs thrasonica, quae medicum non decet, magniloquentia remotissimi effato meum assertum obsignare: „Haec, ita ait ille, q)
 „medendi methodus ea est, qua infarctus felicissime resolutos,
 „atque non solum gravissimos affectus hypochondriacos, ve-
 „rum etiam alia adhuc eaque dirissima pathemata, quae non
 „pauci medicorum plane insanabilia declararunt, felicissime
 „sane profligata, atque miserrime aegrotantes, quantum pro-
 „ceterarum circumstantiarum ratione fieri potuit, sanitati ite-
 „rum restitutos, vel ubi infarctus jam plane erant inveterati
 „aut incarceratedi atque corrupti, ad minimum tamen
 „summopere sublevatos fuisse vidimus.

q) l.c. pag. 26.



NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
DOMINO AVTORI
HIVS SPECIMINIS ACADEMICI
S. P. D.
PRAESES.

Autorem praesentis laboris a fronte ipsius Te profiteris. Par
res undique habes idem nomen insonantes. Ecquos vero?
Impares sane & studiis & moribus, eosque idcirco hoc nomi-
ne saepe quam indignissimos. Par impar luditur in hac re,
ut parum inde honoris in Te proficisci videri posset, qui eo-
dem nomine Te orbi sistis literario. Sed res est in salvo. Duo
cum faciunt idem non est idem. Quâ igitur idem feceris con-
sili, quâ modestiae, quâ meritorum ratione & praerogativâ
publice profiteri jubeor. Infra vires Tuas Tibi fidens, pro Tua,
quâ alios promitae audaciae homunculos evidenter antecellis, mo-
destia, Tibi hanc sumere scriptionem vix ausus es, nisi monitus
rogatusque. Edendo itaque ejusmodi specimini Te parem fore
judicavi, non imparem fuisse ex edito judicabunt mecum aequi-
rerum aestimatores. Simulent dissimulentque proinde harum
rerum se autores, alii. Emant vendantque hos suos utpluri-
mum abortivos fœtus academicos. Sed erubescant ipsi met ipsos
intuentes. Olim non sic, nec hodie ita bene. Haud solum
alios sed & seipso decipiunt utrinque, & simulantes, quae non
habent, merita, & simulata dissimulantes. Majoris etiam mo-
menti ac vulgo creditur, in republica sunt ejusmodi similesque
de-



deceptiones academicæ. Peritos in arte sua postulat Respu-
blica bene constituta. Peritus vulgo habetur promotus. Sed
creditur a mille quamvis idiota sit ille.

Quid mirum, quod legum sacerdotes ipsis promotis non semper
fidem concedant. Verum turpissimæ bujus notæ defraudatores
feliciter saepe seipso magis quam alios defraudant. Quae dis-
simulari volunt infelices saepe eorum inspiratores quaestum inde
turpem facientes ipsa eorum sufflata verba factaque dissimulare
nequeunt. Seipso facile etiam produnt ipsis ducentium & se-
ducentium sequaces & artem suam clanculario modo condiscen-
tes affeciae, qui certa mercede sua pacisci merita non dubitant,
pusilli bujus fortis heroes, vel quae ficto nomine sua faciunt
plane muta arrogantia possidentes vel garrula protervia multa
loquendo agendoque, nil agunt, nil dicunt dicacesque inanes, lar-
giloqui, magnidici, cothurni barioli & phreniticis deliriis quae-
cunque in mentem vagabundam linguanque volubilem veniunt
garrientes, effutientes, blatterantes, balbutientes tumultuoso stre-
pitu in sacra Medicinae irruunt, doliis vacuis, quam plena
majores sonos edentibus, similes. Nonne rebus ita constitutis
R E I E S I O, quam in Camp. Elys. Q. 6. n. 4. 5. habet,
querelam repetere licet: o tempora, o mores! prodeunt
quotidie - - - subreptitii ac supposititii Doctores, ad
praemia & honores evesti & nescio quibus academiis
velut ex templo Doctoratus gradum consequuntur, per-
actis ceremoniis, non examinatis studiis, cathedram ascen-
dunt, & cuncta jam ex alto despicientes, confusum
quidpiam murmurant, tinniunt interim campanae, stre-
punt tubae - - - hymno dicto descendit sopiaens qui
stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio nec Ovi-
dio cognita: tumet ille statim, stupet vulgus, plaudunt

G

affines



affines , qui nil aliud , quam asinum , quem adduxerunt , deportant , Cumano illo indoctiorem , qui chartas vix evolvere novit , quem tandem si in medicis consulat , repieres hunc tot DECIPERE dare , quot RECIPERE , mortemque verius accire posse , quam valetudinem .

Quantum distas ab illis , nobilissime Domine Licentiate ! gratulor hanc Tibi praerogativam . Sed cur tam sero eam ambis publice ? Sat cito , si sat bene . Suus virtuti constat honor . Praefestinatis aliorum consiliis praereptos Tibi honores meritis praeripere maluisti . Exteri Tuam mibi testamat fecerunt dignitatem , nostrates eam testatiorem reddunt , unanimi decreta ista Tibi est consensu ab ordine Facultatis nostrae medicae . Beatiss . Soceri mei & meo post fata ejus tristissima tempore , quo nostros intra parietes Te uti licuit , nunquam non & studiorum Tuorum & vitae Tuae ratione Te quovis modo comprobatum habuimus . Proximis denique demonstracionibus meis anatomicis non otiosus interfuisti , sed & singular diligentiae & dexteritatis specimine socias manus in praeparandis cadaveribus admovendo docuisti , Te non solum theoreticæ , sed & practicæ Anatomiae strenuam navasse operam Quid plura ? veritatem dictorum ipsa manifestat providentia divina , quae labores Tuos felicissimo nutu coronat . Hae Tibi Tuisque , quos meo nomine quoque salvos esse jubeas in omnibus rebus porro adsit benignissime . Hisce precibz Tibi valedico Tuaeque me amicitiae in posterum quoque commendatum esse volo .

e mus. d. 16 Maii.

1754

